

111
15





62. 1694, 14
114
DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
DE

TEMPORE,

QUAM

ASPIRANTE DIVINI NUMINIS
CLEMENTIA,

CONSENSU ET AUTHORITY INCLYTÆ FACULTATIS
JURIDICÆ

IN

PERANTIQUA ELECTORALI AD GERAM UNIVERSITATE

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS RITE ET SOLENNITER
CONSEQUENDIS

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

URBANUS JOSEPHUS
STREIT,

DINGELSTADIENSIS EISFELDIACUS,
IN AUDITORIO JURIDICO COLLEGII MAJORIS

DIE 28. (18.) MAII ANNO M. DC. XCIV.

HORA 7. ANTEMERIDIANA.

ERFFORDIÆ,

TYPIS JOH. HENR. GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

DISPUTATIO JURISPRUDENTIAE
JURIDICA

TEMPORE

ASPIRANTE DIVINI NUMERUS
CLEMENTIA
Consensu et Approbatione Facultatis
Juridicae

PER AUCTORITATEM ELECTORALI AD GERMANICAM UNIVERSITATE
PRO
SUMMIS IN LITTOQUE TITULI HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
QUI DOCTORALITER ET SOLENNITER
CONSECRANDI

PUBLICAE EXAMINATIONIS DISCIPLINAM
SUBMITTIT

URBANUS JOSEPHUS STREIT

DINGESTADENSIS FISCALDIUM
IN ACADEMIA JURIDICA COLLEGII MAJORIS
Die 18. 18. Maii Anno M. DC. XCIV.
Hortu Antemurina
ERRORIBUS
Typis Joh. Hans. Gronovii Acad. Typogr.





In

NOMINE DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

Ad omnia consilia omnesq; actus semper progredimur
1. 2. in princ. Cod. de off. praefect, praetor. Africae
Auth. de armis in princ. collat, 6.



*Secundum perpetuam hanc huma-
narum rerum vicissitudinem, qua
tam varie alternat, ac mire per
obstupescendos plane casus re-
rumq; successus, per mirabilem
quandam actionum mutabilium
concatenationem alternationemq;, unum alteri di-
versimode involvit, nemo reperitur, qui notitiam
quandam temporis non habeat; quis enim est, qui
nesciat per horas, dies, & annos continuo motu per
decurrentis quasi fluvij alveum, delabi vitam no-
stram ad mortem, & immensum secuturae aternita-
tis oceanum; Verum si quid tempus sit, scientificè de-*

A 2

claran-

clarandum, reperientur multi, qui cum S. Augustino de tempore discurrenti lib. ii. confess. C. 14. dum ait: Si nemo quærat, scio, si quærenti explicare velim, nescio: respondebunt. Est igitur hæc in materiâ ad Philosophorum castra fugiendum, & ab ipsis, quidnam tempus sit explorandum, definiunt illi tempus, quod sit fluxus & successio rerum per quam res dicuntur esse prius & posterius; id est, tempus esse multitudinem partium alicujus motus sibi immediatè succedentium, illudq; dividunt in extrinsecum & intrinsecum. Sed nè hic falx mea, in alienam mittatur messem, sua relinquenda Philosophis, & quatenus tempora opitulentur juribus, & jura patrocinentur temporibus videndum. Erit autem hic mearum Thesium ordo & series, ut tractatis prius quibusdam generalioribus, de ipso scilicet tempore, ejus divisione, ac variâ illius in jure acceptione, de legibus tam scriptis quàm non scriptis, demum secundum tria juris objecta, personas scilicet res & actiones procedam, & quomodo tempus circa ista attendatur, demonstrarem.

Sit itaq;

§:):o:(§

CAPUT





CAPUT PRIMUM.

DE TEMPORIS DIVISIONE IN SENSU
JURIDICO.

§. I.

Rerentā à Philosophis datā definitione temporis, illud dividi potest, quod aliud sit naturale, quod idem est, quod Philosophi vocant extrinsecum, aliud legitimum. Tempus naturale sive extrinsecum est illud, quo nostras actiones & durationem quarumlibet rerum solemus metiri, hanc in rem ex communi fermè omnium gentium consensu motus solis tanquam maxime notus & perspicuus, accipitur, qui si fiat ab occasu in ortum per signa Zodiaci, vocatur annus; Si fiat ab ortu in occasum, appellatur dies, qui postmodum in 24. æquales partes partitur, cujus quælibet singula pars dicitur hora. Atque hoc motu omnes rerum durationes mensurantur, ut dicatur tot horis, diebus mensibus, & annis fuisse, vel tali die, mense & anno quid incepisse. Ex quo colligitur, quod hoc tempus non ita determinatum sit à naturā, ut non aliquò modò liberum sit deligere hanc vel illam mensuram, juxtā quam in communi hac hominum societate quantitas temporis definiatur. Sunt autem apud diversos populos diversæ annorum dierumq; computationes. Sic teste *Andrea Tiraquel tract. 3. de retractione gloss. 11. in princ.* Babylonij totum id spatium quod

A 3

est

fi-
um
ve-
na-
bi-
til-
per
est,
tū
in-
ea
bi-
bus,
Erit
ra-
sci-
ure
tis,
sci-
pus
UT



est à sole exorto ad exortum ejusdem, unum diem statuunt. Athenienses unum diem nominant illud tempus, quod est à sole occaso, ad solem iterum occidendem. Hebraeis computabatur dies à mane usque ad mane. Umbrorum dies erat illud intermedium temporis spatium, quod erat à meridie ad inféquentem usque meridiem. Romani computant diem *naturalem* à mediâ nocte ad alteram noctis medietatem, ut videre est in *L. 8. ff. de feriis*, textus ita habet: *More Romano dies à media nocte incipit & sequentis noctis mediâ parte finitur; itaq; quidquid in his 24. horis, seu duabus dimidiatis noctibus & luce mediâ actum est, perinde est quasi quâvis hora lucis, seu diei istius actum esset.* Dixi naturalem, dies namque alius artificialis est, qui per lucem seu solem à nocte distinguitur & sic dum lucescit, dicimus incipere diem, & dum tenebrescit incipere noctem. Eodem modo diversas annorum computationes recenset dict. Tiraquel *loc. cit. gloss. 10. n. 1. ubi vid.*

§. 2.

Tempus verò legitimum est illud temporis extrinseci seu naturalis spatium, quod à lege certo termino vel casu aut facto aliquo definitum, intra quod negotia civilia fieri vel existere terminariq; debent.

§. 3.

Quod porro dividi solet, in tempus utile & in tempus continuum, tempus utile est illud, quod non currit nisi scienti, & valenti agere, sive in quod tantum dies non feriati, seu ii quibus iudex pro tribunali sedet, computantur. Continuum tempus est quod currit etiam ignorantibus, & non valenti agere, seu in quod dies & non feriati & feria-



feriati computantur; estque rursus aliud tempus utile initio & utile cursu, quod non currit, nisi aliquis sciat, sibi aliquod jus competere, & nisi insuper jus illud exercere possit, sive ut habet clariss. *D. Schamb. ad inst. §. qui autem 16. de excusat. tut. vel curat.* quod currere non incipit, nisi à tempore scientiæ, & postea non currit, nisi quis valeat agere. Aliud utile initio & continuum cursu, quod currere non incipit, nisi à tempore scientiæ, Et postea currit continuo. Sic e. g. fatalia interponenda Appellationis, quæ olim erant duo dies, *l. siquidem 1. §. biduum 5. & §. in propria. ff. quando appellandum.* Hodie per constitutionem Sacratissimi Justiniani ad 10. dies coram iudice, à quo, sive à definitivâ sive ab interlocutoriâ sententiâ appelletur, extensa sunt. *Auth. hodie Cod. lit.* ubi hoc decendium computatur ab horâ latæ sententiæ, vel si contemnatus ignoravit sententiam latam à tempore scientiæ, & sic hoc decendium ab initio utile est, & ignorantibus non currit, ex post facto autem continuum, curritque de momento in momentum, & sic dies termini computatur in termino.

S. 4.
Est porro in iure aliud tempus, dierum juridicorum, aliud feriarum, de quibus est rubrica in digestis *de feriis, & dilationibus, & diversis temporibus.* Aliud tempus longum, quale est tempus ad præscribendas res immobiles inter præsentibus 10., & viginti annorum inter absentes. Aliud tempus longissimum, quale est tempus 30. vel 40. annorum. Sic actionibus personalibus regulariter præscribitur 30. annis. *l. omnes 4. cod. de prescription. 30. vel 40. ann.* Actionibus mixtis, uti hæreditatis petitioni *l. hæredit.*

heredit. 7. cod. de R. V. finium regundorum l. fin. Cod. fin. regund. & 40. annis hypothecariae actioni, si nimium hypotheca possideatur à debitore, vel ejus hærede &c. Aliud tempus est centenarium, aliud immemoriale, tempore centum annorum solet compleri præscriptio centenaria, ex altero allato membro præscriptio temporis immemorialis, quæ duæ præscriptiones in hoc potissimum differunt, quod in centenaria aliquando saltè, & quando vehementior juris præsumptio est in contrarium, justus titulus requiratur, ut tradunt DD. *in cap. si diligenti 17. de præscript.* qui titulus in præscriptione temporis immemorialis, ex cursu tanti temporis hoc ipso præsumitur & nunquam allegatur vel probatur. Ubi Q. Utrum præscriptio temporis immemorialis centenariam absorbeat? sive an hoc ipso, quod præscriptio temporis immemorialis articulata & probata sit, etiam præscriptio centum annorum hoc ipso probata & absorpta censeatur? Respondet Covarruv. *part. 2. §. 3. n. 10.* affirmativè, ex sequentibus rationibus (I.) scilicet a faciliori & difficiliore probatione utriusque præscriptionis, illud constat, majus privilegium jure concedi præscriptioni immemoriali, quam centenaria, ex eo, quod centenaria, ubi præsumptio est contra præscribentem, requirat titulum, non sic immemorialis, quæ vim habet tituli, & ejus defectum supplet, igitur quoties præscriptioni cum titulo statur, fortiori ratione standum erit præscriptioni immemoriali. (II.) Tanquam certum supponitur, immemoriam præscriptionem saltem excludi, si ex adverso probatum sit, contrarium actum esse citra 100. annos ante litis contestationem, vel litem motam, ergo præsumptione quâdam apparet, præscripti-

onem

onem immemoriam saltē permitttere quasi possessionem continuam 100. annis ante litem motam, & hæc præsumptio cum sufficiens sit ad obtinendum jure præscriptionis immemorialis, tanquam quæ requirit, contrarium actum non fuisse citra 100. annos, sufficiet etiã ob difficillimam probationem in antiquis, ut quis obtineat jure centenariæ præscriptionis. *L. si servus §. inquit lex ff. ad l. Aquil. l. census ff. de probat. cap. cum olim de censib. cap. cum causam de probat.* (III.) Si quasi possessio temporis immemorialis est sufficiens probatio, quod is qui decimas tanto tempore possedit, censeatur eas habuisse ante concilium Lateranense, ut docuit idem Covarruv. *lib. 1. variar. resolut. cap. 17. n. 3.* quid ni dicatur, quasi possessionem temporis immemorialis esse longè majorem, quam sit ea quæ per centum annos obtenta fuit, utpote quæ illam præsumptionem non importaret. (IV.) Si res ista altius examinetur, apparebit sanè, quod ubi præscriptioni locus sit, resque possit acquiri præscriptione sive adversus privatos, sive contra Ecclesias inferiores, vel Principem, vel deniq; contra Ecclesiam Romanam, nec aliqua ordinaria præscriptio sufficiens censeatur, nec ipsa quidem centenaria sine titulo propter juris præsumptionem, quæ præscribenti refragatur, tunc sanè immemorialis præscriptio sufficiens jure habetur. *Ut est text. in cap. 1. de præscript. in 6. in cap. super quibusdam de v. s.*

§. 5.

Contra quas equidem rationes & pro negativâ sententiâ defendendâ sequentes videntur facere rationes, quas refert ex Cravett. Clarissimus D. Chlingensperger in

B

tract.



tract. de operis servorum cap. 5. assert. 54. quia in præscriptione temporis immemorialis sufficit testes esse 54. annorum, & de 40. annis deponere, hoc ipso vero non requiritur tempus 100. annorum, hoc enim si opus foret non sufficeret testes deponere de visu 40. annorum, & hinc passim tradunt auctores, quod præscriptio immemorialis non sit tam difficilis probationis, quam præscriptio centenaria. 2. Istæ duæ præscriptiones sunt secundum se diversæ & diversis in locis proponuntur, proinde dici non potest, quod una in alterâ contineatur & absorbeatur, & præscriptio centenaria soli Romanæ Ecclesiæ competit privativè ad alias Ecclesias *cap. si diligenti in fin. de præscript.* Si verò sola Romana Ecclesia gaudet præscriptione centenariâ, necessario refertur, quod in casibus, in quibus requiritur contra Ecclesias præscriptio tanti temporis, cujus initii memoria non extat in contrarium, non oportet talem præscriptionem esse centenariam, cum illud sit privilegium Romanæ Ecclesiæ tantum, quæ alias sola hoc privilegio non gauderet. Facit etiam huc, quod si vera esset opinio contraria, tunc sequeretur, quod Ecclesiæ inferiores, imo magis Laici essent privilegiati, quam Ecclesia Romana, in casibus in quibus præsumptio juris est contra possidentem, ubi requiritur præscriptio temporis, cujus initii non extat memoria in contrarium. Quia juxta adversarios, hoc tempus esset majus 100. annis. His tamen non attentis placet sententia affirmativa, nam licet verum esset, quod contra Ecclesiam inferiorem immemorialis præscriptio necessaria sit, in casu ubi præsumptio juris communis est contra præscribentem, & quod eadem præscriptio, in eadem specie adversus Romanam Eccle,

Ecclesiam admittatur, ex hoc tamen plus non sequitur, quam parem esse conditionem Romanæ Ecclesiæ, & inferioris, non verò esse majus privilegium Ecclesiæ inferioris, quam Ecclesiæ Romanæ, adversus quam itidem necessaria est præscriptio temporis immemorialis, quoties præscribenti deficit titulus, & vehementior communis juris adverfatur præsumptio: ut non dicatur, esse adhuc majus privilegium Ecclesiæ Romanæ, quam Ecclesiæ inferioris, eo quod cõtra hanc 40. annis præscriptio cum titulo compleatur, dummodo illa juris præsumptio cesseret, contra Ecclesiam vero Romanam non itidem, sed centum annis etiam hoc casu opus est, ut constat *ex cap. i. de præscript. in 6. cap. si diligent. de præscript. D. Cblingensperger loc. cit.* Sed nunc ad

CAPUT SECUNDUM.

QUOMODO TEMPUS CONSIDERETUR CIRCA LEGES.

§. I.

Cum ea sit cujuslibet hominis conditio, non ætatis aut sanguinis privilegio acquisita, sed cum ipsa intelligendi volendique facultate, à naturâ omnium animis infixa, ut soluto voluntatis arbitrio, à rerum omnium conditore DEO donatus, liberâ actionum suarum dispositione potiatur, opus etiam erat remedio, quo ex lex vitæ licentia intrâ honestatis limites concluderetur, & liberæ incertæ ac inderminatæ, ad vitia magis magisque pronæ ejusdem operationes, velut objectis quibusdam repagulis restringerentur, & quo atrox habendi libido, quo

incondita temerariæ mentis ambitio, quo inferis suppar impietas compesceretur sive ut loquitur Pontifex *in proæm. Decret.* cum effranata hominum cupiditas, sui prodiga, pacis æmula, mater litium sit, ideo legem dare necesse fuit, ut appetitus noxius sub juris regulâ limitetur, per quam genus humanum *ut honestè vivat, alterum non lædat, suum cuique tribuat*, informetur.

§. 2.

Lex itaq; hæc decretum est, quo superior sibi subiectum obligat, ut ad istius præscriptum suas componat actiones; quæ licet quo ad efficientem suam causam iuxta illud: *Per sapientiam divinam reges regnant & legum Conditores justa decernunt prov. 8.* Omnis suam ad DEUM optimum referat originem benè tamen dividitur in naturalem & positivam, hæc in divinam & humanam, humana in ecclesiasticam & sæcularem, utraque ulterius in scriptam & non scriptam diffecatur.

§. 3.

Quantum legem naturalem, cujus primæva nascencia primæ hominis creationi est coætanea, concernit, ea tam robustâ dispositione fuit corroborata, ut eandem nulla humana lex, citra grandem creaturarum omnium injuriam, & horribilem divinæ legis violationem ac destructionem sui ipsius (destructo quippè fundamento ædificium ut corruat, necesse habet) ullo unquam temporis tractu in thesi vel infirmare vel immutare queat, licet aliquando in hypothesi & mutato tempore mutatis circumstantiis, ac in casibus particularibus restricta & declarata fuerit. Similiter nullus temporis cursus humanæ potestati tribuit, ut legem divinam tollere aut mutare possit,

possit, cum sicut nec par in parem ita multò minus inferior in superiorem habeat potestatem. Sit igitur de legibus humanis.

S. 4.

Ubi inter cetera requisita, quæ de naturâ legum sunt, est & illud, ut in hominum ex lege obligandorum perveniant notitiam, *cur enim culpabimus eos, qui postea ignoraverint constitutiones*, loquitur Imperator in *Nov. 66. cap. 1.* Ut ergo obligent, prærequirunt, ut in cujuscunque provinciæ metropoli promulgentur, & insuper duo menses, quibus elapsis sufficiens earundem notitia haberi posse præsumitur, præterlabantur. Rubrica *dict. nov. 66.* ita habet: *Ut factæ novæ constitutiones, post insinuationes earum post duos menses valeant.* Verum si quis perfectam legis notitiam ante definitum tempus præterlapsam acquirat, an non statim ad ejusdem observationem adstringatur, quæstionis est? Possè equidem legislatorem, si ita velit, efficere, ut obligatio legis statim à puncto promulgationis incipiat, posse etiam ex ejusdem legislatoris voluntate, certum tempus apponi, ac longior vel brevior terminus præscribi, ante quem nemo etiam sciens obligetur, pro ut patet ex Concilio *trident. Sess. 24. de reform. matr. cap. 1. in fin.* Ubi irritatio matrimonii clandestini post 30. primum dies à die promulgationis suum robur exercet, indubitatum est. Generaliter tamen & jam positis exceptis hæc datur. Neminem ante bimestre tempus utcumque etiam lex promulgata in notitiam pervenerit, obligari: probatur præter *nov. 66.* etiam ratione quia alias sequeretur aliquos de populo prius propter scientiam, ferius alios propter ignorantiam, hos tanquam

nocentes puniendos, illos velut innocios absolvendos & dimittendos esse. Sequeretur summa iudiciorum inquisitione, cum sese offerentes ad scientiæ vel ignorantiae probationem, utique admittendi essent; quam tamen confusionem in populo, legislator tempus legi adjiciens, absq; dubio tollere voluit. *Vid. Menoch, de arbitrariis iudicium lib. 2, casu 185. n. 7.* Neque obstat *cap. 1. de postul. pralat.* in verbis: *Sufficit ut ad constitutionis observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publicè promulgatam.* Loquitur enim *cap.* hoc de constitutione cuiusdam Cardinalis, ubi sicut & in aliorum à summo Principe inferiorum legislatorum constitutionibus, *d. nov. 66.* locus non est, nam in his scientes statim, ignorantibus post tempus arbitrium, obligantur.

§. 5.

Ad leges Ecclesiasticas quod attinet, quamvis non desint, qui idem de his, quod de legibus sæcularibus modo dictum est, affirmant, cum jus Canonicum specialiter contrarium non statuat, & sicut leges civiles, juxta vulgatissimam regulam, non dedignantur sacros canones imitari, ita sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. *Cap. de novi operis nunt.* Benè tamen asseritur, quo ad lapsum istorum duorum mensium, jus canonicum à civili differre, constitutiones namq; ecclesiasticæ, quæ de novo conduntur, statim post promulgationem in curiâ Romanâ factam, pro ut usus fert & consuetudo, obligare incipiunt. Ita etiam cætera diplomata pontificia, Bulla cœnæ, regulæ cancellariæ, si Romæ promulgentur mox obligationis vim habent. *Vid. R. P. Christoph. Haunold, tract. 1. cap. 1. contro. 2. n. 16. 17. 18.*

§. 6.

Lex non scripta aliter vocatur consuetudo, quod vocabulum aut prout est assuefactio hominis, sicut in *l. si servus plurium §. fin. ff. de legatis 1. l. Dominus §. 1. ff. de pec. legat.* quæ consuetudo ita sumpta de brutis etiam animalibus prædicatur, velut videre est in *Svo pavorum inst. de rerum divis. l. naturalem §. 2. ff. de acquir. rer. dom.* & tunc factum est. Aut prout est inferi, quatenus nimirum ex facto, in actuum morumq; alicujus populi, si ve communitatis frequentia consistente, nascitur. Aut prout ex diuturnis hominum moribus, actibusque ab iisdem sæpius frequentatis, jam enatum jus in facto esse con- quiescit; considerari potest. Undè non malè consue- tudo assimilatur virtuti morali, quæ sensim vires acqui- rit, in quo non est inelegans differentia legis scriptæ, quæ statim vires habet, & consuetudinis, quæ sensim & ex a- ctibus singularibus, quasi per inductionem colligitur & constituitur: in quâ ultimâ consideratione sumpta con- suetudo definitur communiter quod sit: Jus diuturnis moribus, tacito utentium consensu com probatis, intro- ductum. Elucescit itaque ex definitionis allatæ verbis: *Diuturnis moribus* inter alia ejusdem requisita ponendam esse temporis diuturnitatem, sive ut ea per tempus le- gitimum sit observata & continuata, quod certum & in- dubitatum faciunt sequentes juris textus: *L. de quibus 32. §. 1. & l. seq. l. sed & ea 35. ff. de legibus. l. 1. Cod. quæ sit longa consuet. l. non tantum 2. circa fin. ff. de decurionib. l. 1. in fin. ff. de aqua & aqua pluviali arcend.* Ast quan- tum temporis spatium ad stabilendam & complendam hanc temporis diuturnitatem definitè requiratur, diversæ DD. opiniones diversimodè invicem digladiantur.



Sunt qui per l. 2. Cod. *que sit longa consuetud.* ad consuetudinis perfectionem centum annos exigunt, sic dicurrentes: in dicta lege expressè fit mentio longævi temporis, atqui tempus longævum centum annorum esse patet ex l. *an usufructus 50. ff. de usufr. l. ut inter 23. Cod. de Ss. Eccles.* Tempus hominum memoriam excedens centum annis assimilatur, atqui consuetudo vocatur aliquando tale tempus, quod hominum memoriam excedit. *L. hoc jure 3. S. 4. de aqua quotid. & estiva.* Ergo non nisi centum annis inducetur consuetudo. Sunt, qui hoc totum iudicis arbitrio relinquendum ac committendum esse existimant, cum id nullo jure decisum reperitur. *Vid. clariss. D. Schambogen ad s. sine scripto 9. inst. de jur. nat. gent. & civil.* Et sunt denique, qui inter jus civile & canonicum distingunt, & ad consuetudinem contra jus civile inducendam decem, propter l. 2. *cod. que sit. longa consuet. l. penult. ff. de prat. stipulat. l. si finita dies. S. 2. ff. de damno infect. l. de quibus 32. ff. de LL.* Ad eandem vero contra jus canonicum firmandam quadraginta annos necessarios esse opinantur, hac permoti tatione: quia Ecclesia hoc privilegio gaudet, ut non nisi quadragenaria contra illam currat præscriptio, atqui præscriptio contra legem Ecclesiasticam est contra Ecclesiam, ergo sicut non nisi 40 annis præscribitur contra Ecclesiam, ita neq; contra ejusdem legem. *vid. Lessius de just. & jur. lib. 2. cap. 6. dub. 14. n. 45. Menoch. de arbitrariis iudicium casu 83. n. 6.*

S. 8.

Verùm sicuti longè aberrant, qui ad consuetudinem

cent-



centum annos, ob jam allatas rationes desiderant, cum plurimæ reperiantur leges consuetudinem, ut mox demonstrabitur longum tempus appellantes, & sic contrarium statuentes, ita & eorum displicet sententia qui aliquid determinatum tempus negant, sed illud iudicis arbitrio, ponderatis rerum circumstantiis, & consideratâ materiæ gravitate aut levitate determinandum recommendant; Præterquam enim quod melius sit, certam habere regulam, quam iudici negotium committere, cui ut monet Aristot. 1. Rhetor. Quam minimum relinquendum erit, ne exindè multæ rixæ oriantur & incommoda; leges etiam determinant longum tempus, velut ex inscriptione *tit. ff. de legibus & longa consuet. cod. qua sit longa consuet. & aliis plurimis legibus certum est, longum autem tempus est decennium §. 1. inst. de usucap. l. penult. ff. de pret. stipulat.* Neq; opitulantur hujus sententiæ patronis verba in *l. 32. 35. ff. de legibus inveterata, antiqua & per plurimos annos observata.* Quia relictâ licet his verbis, quam eis inesse putant suâ vi ac energiâ, concedere tamen debent, consuetudinem 40. annis, vel saltem tempore immemoriali perfici *l. ult. & ibi gloss. in verbo vetustatis de fundo rei privat. l. 2. §. 1. ff. de aqua pluvial. arcend.* Ergo saltem esset certum & determinatum tempus, ad introducendam consuetudinem definitum, sive postmodum illud foret decem vel quadraginta, vel plurimorum annorum. Et sanè de jure canonico sciri vix posset, quæ esset consuetudo legitimè præscripta ac justè prolata, prout requiritur *in cap. cum dilectus de consuet.* Si iudicem temporis arbitrum esse debere statueretur.

C

§. 9.

Tertia DD. opinio propter secundum distinctionis
 membrum ad consuetudinem contra jus ecclesiasticum
 40. annos, hanc ob rationem, quia contra Ecclesiam
 pauciori, quam quadragenario temporis spatio, non cur-
 rit præscriptio, ut illius bona conseruentur, necessario
 exigens, tota redditur periculosa; ex hoc etenim funda-
 mento clarè apparet hujus sententiæ patronos statuere,
 quod præscriptio contra legem ecclesiasticam, sit præscrip-
 tio contra ipsam Ecclesiam propriè sic loquendo, quod
 tamen erroneum est, cum contra illum propriè dicatur
 præscribi, cujus dominium aut jus in re, cum jacturâ &
 damno illius minuitur & tollitur: præscriptio autem
 contra legem ecclesiasticam non minuit utilitatem, aut
 commoda Ecclesiæ, nequidem ut legislatrix est, cum le-
 ges non ferantur in legislatorem aut commodum ejus,
 sed in utilitatem subditorum: ergo præscriptio contra
 legem, non est præscriptio contra Ecclesiam, in eo scili-
 cet sensu, in quo Ecclesia gaudet privilegio longioris
 spatii, quam alii, contra quorum bona præscribitur.
 Quod confirmatur, contra Ecclesiam Romanam non cur-
 rit præscriptio, nisi centum annorum & tamen etiam jux-
 ta adversarios, quadraginta annis consuetudo contra il-
 lam inducitur, ergo signum est, aliud esse præscriptionem
 contra leges ecclesiasticas, & aliud esse præscriptionem,
 contra ipsam Ecclesiam: alias si idem esset, non daretur
 præscriptio contra legem ecclesiasticam Ecclesiæ Romanæ
 nisi centum annis, quod tamen nec ab adversariis affir-
 matur, vid. R. P. Christoph. Haunold, *tract. 1. cap. 3. contr.*

2. 7. 134.

S. 10.



Optima igitur communis & verior, non admissis recep-
 tis jam opinionibus, sententia est: consuetudinem
 tam contra quam præter jus Ecclesiasticum & civile de-
 cem annis induci. Vid. jam cit. Haunold. tract. 1. cap. 3.
 contr. 2. n. 130. Lessius de just. & jur. lib. 2. cap. 6. dub. 14.
 n. 46. Probatur. Consuetudo in multis textibus jam
 antecedenter allegatis longum tempus exigit, atqui tem-
 pus longum est decennium, l. 1. ff. de usucap. vid. Gail. lib.
 2. observ. 31. n. 3. Mysing. centur. 6. observ. 41. n. 9. & 10.
 Schneidew. §. 9. inst. de jur. nat. gent. & civil. Quod non
 minus contra jus Ecclesiasticum procedit. Quod proba-
 tur invertendo illorum sententiam, qui volunt idem es-
 se contra Ecclesiam ipsam vel contra leges ecclesiasticas
 præscribere, cum fundamentum suū pars contraria in hoc
 ponat, ut bona Ecclesiæ conferrentur, idèd majus tem-
 pus ex privilegio habet Ecclesia, ut contra illam currat
 præscriptio, atqui hæc ratio ad consuetudinis præscriptio-
 nem nihil facit, bona enim Ecclesiæ, quamvis contra il-
 lius leges introducatur consuetudo, non diminuuntur,
 Ergo certum est consuetudinem non nisi decem annos ad
 sui perfectionem requirere tam contra jus canonicum
 quam civile. Neq; obstabunt, si verum est, ut passim di-
 cunt, quod liceat rubrum nigro concordare, leges, in qui-
 bus consuetudo *dicitur in veterata, longeva* dicitur, su-
 am enim accipient explicationem ex rubricis sibi præpo-
 sitis, quales sunt in ff. tit. de legibus Scis & longa consue-
 tudine. Cod. qua sit longa consuetudo. Et hæc, quæ de cer-
 to tempore posita, sunt intelligenda & accipienda de
 consuetudine præscripta. Quod si tamen per consuetu-



dinem contingeret ladi Ecclesiæ jura, idem tempus in consuetudine, quod ad præscriptionem alicujus juris ecclesiastici, meritò desiderabitur. Vid. Lessius *de just. & jur. lib. 2. cap. 6. dub. 14. in fin.* Cui pro limitatione etiam apponendum illud: quod ea, quæ principi in signum specialis prærogativæ, aut præminentię reservata sunt, veluti impositio vestigalium &c. nec consuetudine decem, nec quadraginta annorum immutentur, sed requiratur tempus, cujus initii non extet memoria. *Text. in cap. super quibusdam x. de v. f. in verbis: tempore cujus non extat memoria introducta.*

§. II.

Consuetudo autem, quæ sciente ipso legislatore, contra legem introducit, nullum determinatum certumque tempus exigit, ratio: Princeps quippè suam legem non observari sciens, & tacens, consentire censetur, in non legislatæ observantiam ac proindè ipsam legis obligationem tollere. Undè sæpè contingere potest, ut paucis annis lex vel statutum abrogetur per consuetudinem; etiamsi antea recepta fuerit. Vid. Lessius *lib. 2. cap. 6. dubio 149.* Sed an tempore illo, quo talis consuetudo contra legem superioris inducitur, bona fides requiratur, controversum est. Si argumento à præscriptione ducto initii quisquam vellet, ex *cap. ult. de præscript.* ubi omnis quanticumq; etiam temporis præscriptio, quæ non in bona fide fundatur, nulla dicitur, id videri posset; Rectius tamen ꝑ. detur cum Hautold *loc. cit. n. 136.* saltem ad inchoandam consuetudinem, Negativè. Ratio est. Quia alias raro præsumeretur præscriptum esse, cum præsumatur lex non ignorari, adeoque transgressiones esse peccaminosas. Vid. *d. Haunold cit. loc.* §. 12.



Nullum denique tempus efficere potest, ut consuetudo, quæ Laici beneficia Ecclesiastica & præbendas conferre præsumunt, introducat; esset enim talis consuetudo sacris Canonibus inimica, & jus conferendi beneficia Ecclesiastica, est jus spirituale, cujus Laici sunt incapaces. Cui non obstat, quod multi Reges & Principes, id juris & potestatis habeant; sic omnes Imperatores Romani habent jus primarium precum vigore cujus in singulis Germaniæ Ecclesiis petere possunt, ut unus recipiatur, qui ab ipsis nominatur. Vid. Hermes in *fasciculo juris publici*. Sic Reges Galliæ sibi jus usurpant, vi cujus vacante sede beneficiorum Ecclesiasticorum percipiunt fructus, & conferendi habent facultatem. Sic Reges Neapolitanos habuisse jus nominandi Episcopos in quadraginta Ecclesiis primariis. Sic Reges Angliæ & Hungariæ habuisse potestatem conferendi beneficia testantur auctores. Vid. Clariss. D. Bassus in *discursu de jure non scripto lib. 20. c. 2.* detur enim, quod Reges vel Principes jus hoc habuerint, habeant vel habere possint, non vi consuetudinis, aut præscriptionis, sed ex concessione & privilegio summi Pontificis. Et hæc de legibus dicta sufficiant, quarum in Violata observantia efficit, ut privatus à potentiorum injuriis defensus, ut potentior à privatorum fraudibus tutus, ut uterque in isthac communi hominum societate felici tranquillitate tutus constituatur, adeo ut supra omnem vicissitudinem temporis, summum felicitatis apicem, eluctentur respubiicæ, quibus in fundamentum inconcussa legum statuta subjiciuntur.

Nunc ad

C 3

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

QUID TEMPUS OPERETUR CIRCA
PERSONAS.

§. I.

Prima consideratio temporis circa personas sese offert, quod aliqui, prout pauciores vel plures exegerunt annos, sint aut infantes seu impuberes, puberes aut minorennes & majorennes. Ubi circa infantes observandum: quod licet sit duplex causa efficiens dominiij jus nimirum & voluntas, quæ tamen in infantibus vel admodum imbecillis vel planè nulla est, ac sic videri posset ipsos utpotè voluntate destitutos dominiij fore incapaces consequenter in hac communi societate quoad effectum juris non æstimandos; nihilominus cum ad bonum rei publicæ necessarium esset, ut infantes essent dominiij capaces, idèo respublica ita fuit ab auctore natura instituta, ut habeat altum dominium in bona infantium, vi cuius potest eorum representare personas, ita ut voluntas reipubl. ab omnibus censeatur esse voluntas ipsorum infantium, ac consequenter quidquid circa infantium jura disponit respublica, ipsi infantes in proprium suum commodum disposuisse fingantur.

§. 2.

Stando in jure naturæ ac præscindendo à lege positivâ omnis ille dicendus est infans, qui nondum tantum rationis usum habet, ut possit distingvere inter bonum & malum, sive ut peccatum Theologicum committere queat. Sequendo autem jus civile, infans denominatur is,



qui nondum adimplevit septimum ætatis annum *l. 18. cod. de jur. deliber. l. 4. ff. de sponsal.* Undè fieri potest, ut quis egressa naturali infantia, nihil omniùs civiliter talis, & versa rotà, ut quis ex utà infantia civili, infans naturaliter remaneat, pro ut scilicet defœcatus ipsius intellectus, illi vel ante vel post septennium, actuum à se ponibilium, suggerit turpitudinem aut decentiam. Ex quo ultro patet infantem naturaliter talem, licet annum septimum jam excessisset, nullum civile negotium rectè peragere, & nullo modo validè ex defectu serii & deliberati consensùs, qui tam ad delinquendum quam contrahendum requiritur, e contra infantem civiliter talem, seposità dispositione legis positivæ ex naturà rei, validè contrahere, efficaciter obligari ac etiam delinquere posse: De jure autem positivo, ut probabiliter defendi potest, saltem tutore authore infans civiliter talis validè contrahit, cum nullà lege reperiatur inhabilitatus textus namq; asserentes quod ante completum septenniù quis nequeat contrahere, intelligendi sunt, quod loquantur ex præsumptione, quod quis ante illud tempus nondum tanto rationis moderamine potiatur, quo negotii gravitatem rectè ponderare possit. Ergò si hæc præsumptio cesset & falsa sit, adhuc de jure positivo validè contrahere poterit. Neque obstat *s. p. inst. de inut. stipulat.* ubi infans non multum à furioso distat, & nullum intellectum habet, intelligendus enim est ille textus, de infante naturaliter tali.

§. 3.

Tribuit prætera annus septimus tam masculis quam fœminis facultatem validè contrahendi sponsalia, & hoc
(de



(de jure namque civili nullum certum tempus definitum reperitur l. 14. ff. de sponsalib.) de jure canonico indubitatum est, quippe post septimum annum, præsumuntur homines usûs rationis ac discretionis capaces, ut id quod agunt, jam intelligant. *C. litteras de sponsalib. impub.* quæ tamen sponsalia post septimum annum contracta tam arctum non ponunt vinculum, quod adveniente dein pubertate, constringeret etiam invitos, sed si ambo contraxerint impuberes, masculus post annum 14. foemina post 12. ea irritare poterunt. Quod si pars una tempore pubertatis, impubertatis altera contraxerit, obligabitur equidem adultus impuberi irrevocabiliter, hujus tamen, si ad pubertatis annos pervenerit, relinquetur arbitrio, num sponsalia ratificare, num resolvere velit. Vid. Ludovic. Engel in colleg. juris Can. lib. 4. tit. 2. de despons. impub. interim tamen ex ejusmodi sponsalibus, post annum septimum validè contractis, orietur impedimentum publicæ honestatis, id efficiens ut neuter ex ipsis desponsatis, cum alterius consanguineis intra primum gradum contrahere valeat. Vid. cit. Engel. loc. cit. n. 5. *C. litteras 4. d. r.*

S. 4.

Effectus postmodum sponsaliorum ritè initorum est obligatio ad ea quamprimùm implenda, quod tamen antè fieri non potest, quàm mas sit pubes, qualis est post lapsum 14. annorum, foemina viripotens, scilicet post exactum annum duodecimum; hunc tamen annorum numerum, jus canonicum non ita rigidè attendit, sed si malitia suppleat aratem citiùs matrimonium contrahendi concedit facultatem. *Cap. de illis 9. x. despons. impub.* quod

quod semel legitimè contractum & consumatum nullà
 auctoritate humanà, nequidem ob adulterium quo ad
 vinculum dissolvi potest, quod enim Deus conjunxit, ho-
 mo nē separet. *C. ult. ext. de transl. Episcop. Valens. in
 parat. decret. de divor. n. 3.* Ubi dicit: *quod matrimoni-
 um representet unionem Christi cum Ecclesià per charita-
 tem & naturæ conformitatem, proindeq; ut illa est indissol-
 ubilis, ita & matrimonium indissolubile esse debet.* Hinc,
 quod asserit Willenbach *ff. disp. 44. de spons. n. 3.* Mulie-
 rem, quæ se virginem mentita erat, cum ab alio esset
 compressa, repudiari posse, negatur. Poterit autem tali-
 ter deceptus sese consolari, si vult, *ex cap. 20. de sponsalib.
 & matrim.* ex quo hoc ipsi proficiet in remissionem pec-
 catorum.

§. 5.

Ad hanc individuam vitæ consuetudinem inter vi-
 rum & uxorem eò meliùs firmandam & conservandam, so-
 let ab uxore vel patre ejus, aut alio pro sustinendis facili-
 tûs matrimonii oneribus, marito certa dos assignari *l. 3. ff.
 de jur. dot.* & econtrà à viro mulieri in majorem dotis se-
 curitatem donatio propter nuptias constitui, hujus dona-
 tionis lucrum, ut mulier post mariti mortem petere pos-
 sit præmaturis nimis nuptiis se maculare, sive intra an-
 num luctûs ad alia vota, utpotè juri civili bonisque mo-
 ribus contraria, transire non debet; nam jure civili, muli-
 er intra annum luctûs, post mariti sui mortem alteri nu-
 bens redditur infamis *l. 11. §. 1. in fin. ff. de bis qui not. infam.*
 & cum, quæ statim alteri conjungitur, non videatur sin-
 cero amore prosecuta fuisse maritum, cum ultima debeat
 esse fides lugere virum, hinc est, quod ejusmodi conjugi-
 um

um honestati publicæ, bonisque moribus repugnet, & efficiat, ut præter infamiam, omnium hæreditatum, legatorum, fideicommissorum reddatur incapax. *L. 1. cod. de secund. nuptiis.* Quod tamen de jure can. *per cap. ult. & penult. ext. de secund. nupt.* Non attenditur, undè hoc jure mulier intra annum luctûs nubens dictas pœnas nō incurrit; *si enim dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat tantum in Domino, beatorum autem erit, si sic permanserit,* inquit Apostolus *c. 7. & 1. ad Cor. 7. & idem 1. ad Tim. 5. v. 14.* hoc dat consilium, ut juniores viduæ nubant. Vid. *Perez. in cod. de secund. nupt. Sicbard. ad cod. tit. de secund. nupt.* Non tamen de jure civili officiet mulieri intra annum luctûs fuisse sponfam, *L. 10. §. 1. ff. de his qui not. infam.* nam licet his sponsalibus intra annum luctûs videatur publica honestas obstare, videri potest *Carpzov. in jurispr. confistor. lib. 2. D. 161.* Nulla tamen mulieribus intrâ hoc tempus sponsalia contrahentibus, reperitur pœna in legibus statuta, quamvis non omne, quod licet, honestum sit, *l. 144 & 197. de R. I.*

§. 6.

Quod si autem mulier intra annum luctûs non quidem ad secunda vota transeat, sed vitam agat inhonestam & luxuriosam, ita ut ex alio quodam partem edat, utrum & tunc donationis propter nuptias lucro carebit? Rædetur Affirmativè, quomodo enim per virum aliquid lucrari poterit, quem sic velocitèr dehonestavit. *Novell. 39. cap. 2. propè fin.* Si verò maritus in instrumentis dotalibus se dotem spe futuræ numerationis, accepisse, quam tamen non accepit, confessus fuerit, an mulier dictæ donationis lucrum petere possit, quæstionis est? cui distinctio sequens

quens satisfacit; aut enim tempus querelæ, sive exceptioni non numeratæ dotis definitum præterlapsum est, aut non; priori casu jure uxor lucrum hujus donationis exigit, posteriori casu non; obstat enim exceptio non numeratæ dotis. *Novell. 91. c. 2. l. fin. & seq. auth. cod. de dot. caut. non num.* Tempus autem exceptionis non numeratæ dotis præfinitum ex *l. fin. cod. d. t.* Olim erat annus continuus, à tempore soluti matrimonii computandus, quod sacratissimus Imperator Justinianus in *Novell. 100. c. 2.* correxit, & nonnunquam exceptionem non numeratæ dotis planè denegavit; distinguit enim, an matrimonium sit solutum intra biennium, an post biennium, an post decennium, primo casu intra annum soluto matrimonio, secundo casu intra tres menses, tertio casu planè non admittitur. *Vid. d. nov. 100. c. 2. auth. quod loc. cod. de dot. caut. non num. Percz. in cod. b. tit. n. 3.*

§. 7.

Concedit insuper annus 12. in fœminis, 14. in masculis, absq; hoc quod ipso jure tutelam finiat, testandi atque de rebus suis disponendi facultatem. *§. præterea 1. inst. quib. non est permis. fac. testam. l. qua etate s. ff. b. t. l. 4. cod. qui testam fac. poss. l. fin. eod. de testam. mil. l. 2. cod. quando provoc. non est necesse.* Solet enim frequentius ætatem hanc comitari iudicii maturitas, ita ut quod agunt, jam plenè intelligant. Leges autem juxta ea, quæ frequentius accidunt, feruntur. *L. 4. 6. 10. ff. de legibus.* Quod adeo verum, ut nequidem ante definita tempora, testamentum ab adhuc impubere factum, si post pubertatem decesserit, valeat. *d. §. præterea 1. inst.* Neq; dici hic potest: posse accedentem tutoris auctoritatem, quâ inter-

veniente aliàs pupillus omne negotium rectè gerit , ut traditur *in inst. ff. & cod. de auctorit. tut.* annorum sup- plere defectum, sicuti enim testamenti factio , ab alieno non debet dependere arbitrio, ita &, cum testamentum vix sortiatur post mortem suam effectum, 12. vel 14. annis minor, sive pupillus, uti in actibus inter vivos fieri consuevit, adversus tutorem nullum possit habere regressum. Sed licet tam rigorosè certum annorum numerum leges requirant, ante quem testamentum quis condere non potest, temperant tamen in hoc rigorem suum, quod tempus non de momento in momentum, sed de die in diem computare soleant *l. 5. ff. qui testam. fac. poss.* Adeò ut si ultimum diem anni 14. timas, foemina 12. mi attingerint, requisitam ætatem jam complevisse dicantur. Vid. *Clariss. D. Schamb. in tract. de testam. quest. 6.* Sed quid si ante constitutum tempus, tanto rationis usu jam potiantur, quo æquè prudenter ac puberes de rebus suis disponere intelligant, sive si malitia in illis suppleat ætatem, an non tunc saltem ante pubertatis annos testamentum facere poterunt? Rædetur Negative. Cum enim per testamentum de universo jure, quod defunctus relinquit disponatur, ea utique dispositio non exigui est momenti, & consequenter cum leges præcisè certum annorum numerum requirant, utpotè ad actum tam gravem, malitia ætatem supplere non poterit, & vel maxime cum jura ferantur circa ea, quæ communiter accidunt *l. 4. 5. 6. ff. de LL. nov. 94. cap. 2.* Neque obstat *cap. puberes 3. cap. de illis 9. X. de desponsat. impub.* Ubi licet jura in masculo 14, in foeminà 12, annos exigant, nihilominus, ut jam dictum, si malitia in illis suppleat ætatem leges citius

riti
de
m
ob
ric
in
cat

op
ff.
jus
ad
jur
leg
Sic
an
da
tal
co
jur
ca
ju
ju
fe
pe
eti
tra
ex
hi



eius matrimonia permittunt, ut idem dicendum videatur de testamenti factione. Sed redetur. In materiâ matrimoniali, ideò jura præscriptum tempus tam rigorosè non observant, ut fornicationis peccatum evitetur, cujus periculum esse posset, si talibus nuptiæ non concederentur, in factione autem testamenti nullum ejusmodi subest peccati periculum, vid. *cit. Schamb. loc. cit. quest. 7.*

§. 8.

De quindecim annorum tempore, vid. *l. 7. cod. de operib. publ.* de tempore sedecim annorum, *l. 2. in princ. ff. de vacat. & excusat. mun.* septemdecim annorum §. *juste inst. de libertin.* octodecim annorum §. *4. inst. de adoption.* & de tempore viginti annorum §. *penult. inst. de jure person. l. 1. ff. quib. ad libert. proclam. non licet. l. cum lege 41. ff. de recept. arbitr. l. 1. cod. de excusat. veter. &c.* Sic de jure canonico judex dari potest, qui vigesimum annum complevit, infra annum autem vigesimum judex dari non potest, nisi à Principe, aut ex consensu partium, talis tamen, qui saltem decimum octavum ætatis annum complevit. *cap. cum vigesimum 41. de offic. delegati. de jure civili in l. quidam consulebant 57. in princ. de re judicata.* generaliter dicitur eum qui complevit 18. annum, judicem esse posse. & notat gloss. *in l. cum prætor 12. ff. de judiciis V. impubes.* quod si autem jure hæreditario aut feudali competat jurisdictio cohærens bonis (sicut competit principibus, aliisque Dominis temporalibus,) ea etiam in pupillum, & alios utcunque naturâ prohibitos, transit, sed per tutores, curatores vel administratores exercetur. vid. *Sebraderus de feudis part. 10. sect. 4. n. 54.* ab his deniq; temporibus usq; ad 25. annos tempore de mo-

mento in momentum computato, durat minorennitas, l. 1. § 3. ff. de minorib. majorennitas incipit, & à curatela ipso jure liberatur, qui antea eidem subjectus erat, finitâ namque tutelâ stat penes minorennem num se curatori, qui ipsi invito non obruditur, (nisi litiget, cum non habeat legitimam pro se in judicio standi personam) conformare velit. §. item invito 2. inst. de curat. hoc tamen inter habentem & non habentem curatorem relicto discrimine, quod hic nonnisi cum curatoris auctoritate, & si res sit immobilis adveniente Prætoris decreto de rebus suis valeat disponere. Alter autem indistinctè res suas alienare possit, ita tamen ut probatâ læsione gaudeat beneficio restitutionis in integrum. tot. tit. ff. de minorib. ratione restitutionis memoratæ placet aliqua ad meum propositum facientia hic adferre, & vel maximè ob materiæ hujus recommendationem ab Ulpiano in l. 1. ff. de restit. in integr. factam. de quâ sit.

§. 9.

Restitutio in integrum vel causaliter vel formaliter consideratur: causaliter considerata significat ipsum jus, ratione cujus læsus petit restitutionem in integrum, & aliud nihil est, quam remedium juris, quo læsus præcedente causæ cognitione, impetrat ex æquitate prætoriam, pristini juris, rei q. stricto jure amissæ, reparationem. vid. Struvius in suo syn. jur. civ. Exerc. 8. th. 2. formaliter spectata, denotat ipsam juris læsi reparationem, & definitur in l. 2. cod. in quibus caus. restit. in integr. necess. non est. Quod sit amissæ causæ redintegratio vel plenius pristini juris ex æquitate prætoriam præcedente causæ cognitione impetrata redintegratio, nam finis restitutionis in integrum est,

omnia

omnia quantum possibile, in pristinum statum reducere, & efficere, ut læsus formaliter & virtualiter perinde se habeat ac si læsus nunquam fuisset. Quæ vel expeditur cognitione pratoriâ, sive quæ ab ipsopratore quâ tali terminatur, & est restitutio minorum, in quâ, ut dictum, computatur tempus de momento in momentum, ita ut adhuc minor sit, & annum vigesimum quintum nondum transegisse censeatur, qui ultimam nativitatis horam, seu ultimum momentum nondum complevit. Vel condemnatione judicis absolvitur, & est restitutio majorum. Prior contingit tripliciter, vel enim ijs id, quod habuerunt & amiserunt restituitur, exempla sunt in *l. minor. 2. § seq. ff. de minorib.* vel emolumentum quod accipere potuerunt, omissum rursus defertur; vid. *l. ait Prator 7. § 8. ff. eod.* vel denique onere, cum licuisset non suscipere, temerè tamen suscepto relevantur, *l. non omnia 44. ff. de minorib.* vid. *Struv. loc. cit. thes. 45.* Posterior sive majorum 25. annorum restitutio conceditur vel ex causâ speciali & determinatâ v. g. absentia, vel ex causâ generali & indeterminatâ de quâ videri potest, *l. 1. §. 1. ff. ex quib. caus. major.* ubi Prator generaliter promittit, quod ex qualibet justâ causâ, si modò ea legibus, senatus consultis, plebiscitis & edictis Principum non refragetur, velit in integrum restituere. Et rationabiliter: cum enim omnes casus in quibus naturalis æquitas, ob læsionem citra culpam læsi enatam, restitutionem in integrum videtur efflagitare, legibus sigillatim exprimi non potuerint *arg. l. 10. § 12. ff. de legibus* hinc prator illos judicis arbitrio committendos & ad similitudinem expressorum dijudicandos censuit. *L. sed. et si 26. §. item inquit*

quæ 9. ff. ex quib. caus. major. Porro restitutio, quæ ex speciali causâ impertitur vel respicit improbum alterius factum, indeque resultantem læsionem, vel damnificationem aliundè provenientem. Illa quæ ob damnificationem aliundè provenientem & non improbitatem tertii conceditur, alia est, quæ ob mutationem status interuenientem indulgetur. Et alia, quæ ex capite absentia & inde prouenientis damni conceditur. Restitutio ex capite absentia fit vel ob absentiam propriam, vel ob absentiam alienam, ob absentiam propriam restituitur ille: qui vel reipublicæ causâ vel ex necessitate, vel etiam aliâ probabili de causâ abest: si enim tempore absentia res interim ipsius aut à præsentem usucaptæ sint, aut contra ipsum lata sententia transferit in rem iudicatam, aliave similis læsio emerferit, quæ verò similiter non evenisset, si præsens fuisset, prætor ipsi restitutionem pollicetur. *L. 1. l. 26. §. ult. l. 28. princ. ff. ex quib. caus. major. l. 1. cod. eod.* Ob absentiam alienam is restituitur, cuius res ab absente fuerunt usucaptæ, cum is neminem reliquerit, qui ipsius nomine potuisset conveniri. Nec interest, quam ob causam alter abfuerit, siue enim reipublicæ causa, siue ob aliam, quandam id contigerit, præsens adversus ipsum restitutionem in integrum impetrare potest, si ob ejus absentiam læsus fuerit. *L. 21. in princ. §. 1. & 2. ff. h. r.* Restitutio quæ circa improbum alterius factum, indeque eveniens damnum versatur, iterum in duas abit species: factum nimirum illud, aut in illatione metûs, aut commissione, doli consistit. Ob illationem metûs fit restitutio, ex dicto quod metûs causâ, ei namque qui iniusta vi coactus, adeoque ex gravi metu negotium aliquod gessit, quod for-

rè



tè gesturus non fuisset, si metus abfuisset, prætor ipsi re-
stitutionem pollicetur, dando actionem quod metus
causâ, quâ possit se indemnem servare *tot. tit. ff. quod me-
tus caus. &c.* Quod autem metum passus remedio præ-
torio ad se indemnem servandum indigeat, indè provenit,
quia per se loquendo, actus metu initus ipso jure valet,
ac subsistit, cum sit sufficienter voluntarius, utpotè ad e-
vitandum majus malum electus: ubi enim est electio, non
potest esse non volitio, cum electio sit formaliter actus
voluntatis. Nam ut eleganter *in l. si Mulier 21. S. si metus.
ff. quod metu caus.* ait Paulus Jurisconsultus: *Quamvis
si liberum esset, noluissem, coactus tamen volui.* Cum er-
go metus non excludat voluntarieratem, de jure naturæ
ad valorem actus requisitam non potest non actus (seclu-
sâ speciali constitutione ipsum irritante) ipso jure subsi-
stere, adeoque quia de jure civili metum passo, non est re-
medium proditum, quo sibi possit consulere, ei necessa-
riò ad munificentiam prætoris plenissimam illati damni
reparationem offerentis, est confugiendum. *Vid. Widmont
de transact. parte 2. c. 2. assert. 25. Woller de restitut. in in-
tegr. c. 2. n. 5.* Commissionem verò doli quod concernit,
illa consistit vel in callidâ læsi circumventione, vel in frau-
dulentâ alienatione; ob callidam circumventionem resti-
tuitur is, qui subdolis alterius machinationibus deceptus
negotium aliquod gessit, quod secluso dolo, sic gesturus
non fuisset. Si enim magna & inexcusabilis fuerit decipi-
entis calliditas, & damnum quod indè passus est deceptus,
non fuerit modicum, ac insuper non aliud sit remedium
quo deceptus sibi plenius consulere possit, tunc prætor
ipsi actionem de dolo accommodat, quâ contra decipien-

E

tem



rem experiri possit, ac reparationem damni urgere. *L. 1. §. 1. & 4. l. 7. §. ult. l. 9. §. ult. ff. de dolo malo.* Ob fraudulentam deniq; alienationem restituitur is, cujus causa alienatione reddita est deterior, si quis enim rem quam in iudicio vindicandam timet, in potentio rem aut molestiorem adversarium dolo malo alienet, arque ita per duriorem adversarij obtrusionem, iudicium mutet, ac gravius negotium alteri facessat, potest is actione in factum conveniri, in id quod interest alterius, ipsius causam substitutione molestioris adversarij duriorem redditam non esse. *l. 1. ff. de alienat. iudic. mut. caus. DD. ad tit. ff. de minorib. & ex quib. caus. major.* & hac quasi impertinenter ad meum propositum de speciebus restitutionis in integrum adferre placuit, ut expeditiore modo enodaretur qui sequitur.

Quod si itaq; contingat aliquem unâ, ex praedictis, laesione gravari per beneficium hoc restitutionis in integrum, sese indemnem servari potest, modò impedimenta quæ faciunt, ut ea aliquandò denegetur, diligenter evitet, inter quæ præcipuum est, ne tempus petendæ restitutioni legibus definitum elabi patiat; est igitur tribus potissimum hac in re invigilandum: Primum est quodnam sit, tempus illud, intra quod restitutio petenda? secundum quandonam tempus illud currere incipiat? & tertium, an aliud tempus sit præfinitum, restitutioni petendæ, & aliud finiendæ, num verò idem tempus utrique, tam petendæ quam finiendæ sit constitutum? Ad primum, quodnam videlicet illud tempus sit, intra quod restitutio petenda, & deo cum distinctione, vel enim est restitutio

mino-

minoribus & majoribus propria, vel est utrisque communis. Quod ad illam attinet, quæ majoribus ac minoribus propria est, dico, quod ea olim intra annum utilem petenda fuerit. Verùm novâ Sacratissimi Justiniani constitutione, utilis ille annus, in quadriennium continuum mutatus est, adeoque hodiè, ut restitutionis petitio debito fiat tempore, illa necessario est peragenda intra lapsum quadriennii *l. ult. cod. de temp. in integr. restit. &c.* Undè, si vel ob lubricum ætatis minor, vel ex capite absentia major, efflagitet restitutionem, ut desiderium & petitionem intra quadriennium, quò elapso amplius non auditur, manifestet, necesse habet. *d. l. ult.* De restitutione quæ majoribus ac minoribus communis est, non desunt, qui etiam quadriennium ipsi constituent, adeoque differentiam inter has restitutionis species quò ad tempus tollant. Sed opinio eorum merito displicet, quia constitutio *l. ult. cod. de tem. restit.* Loquitur tantum de restitutione minoribus ac majoribus propria, quemadmodum legenti textum patet, ergo extra suos terminos producenda ac ad alias causas restitutionis, ut sunt dolus, metus &c., quam quarum ibi fit mentio, temerè porrigenda non est. Et sanè si Imperator in *dict. l. ult.* quadriennium illud etiam actionem doli, vel metus voluisset porrectum, non debuisset tantum mentionem facere restitutionis, quæ ex causâ lubricæ ætatis aut absentia conceditur: Cum ergo solius restitutionis, quæ ex dictis duabus causis competit, fecerit mentionem, clarè patet, quod noluerit Imperator, ut dicta constitutio extra suos trahatur terminos. Neque dicas, sæpe in codice Imperatores certò in casu rescriptisse, & tamen leges ad alios etiam extendi:



hoc enim tantum cernere licet, ubi ad supplicationem particularium personarum, in certâ facti contingentia rescripserunt, non in constitutionibus ad præfectum prætorio motu proprio, qualis est ista, generaliter directis. Quid? quod in *l. ult. cod. de dolo malo*, actioni de dolo expressè tempus biennii à Constantino præfinitur? atqui, si Justinianus illam voluisset antiquatam, ac novâ constitutione suâ correctam, non debuisset illam inter leges codicis repetitâ prælectionis referre. Et quid notius, quam quod legum correctio extra casum summæ necessitatis admittenda non sit? Cum ergò nulla subsit necessitas, quæ cogat admittere *dict. l. ult. cod. de dolo malo* per *l. ult. cod. de temp. restit.* correctam esse, ultro patet, quod illa correctio sine sufficiente fundamento adstruatur. Sed quid? quodnam igitur est definitum tempus, si tamen aliqua differentia sit ponenda, intrâ quod restitutio majoribus ac minoribus communis, petenda est? hæc juxta, ordinem specierum restitutionis in præcedente Svo allatarum. Si restitutio hæc petatur ex capite doli, tunc tempus biennii actioni de dolo, ut dictum, jure est præstitum. Si petatur ex capite metûs, tunc distingvo, vel enim actio quod metûs causâ consideratur ut purè rei persecutoria ac merè in simplum concepta, & sub hæc consideratione est perpetua, id est durat 30. annis. *L. 14. §. 1. ff. quod met. caus.* Vel consideratur hæc actio ut mixta, hoc est partim rei persecutoria, partim pœnalis & hoc respectu annus utilis ei intentandæ est præfinitus. *d. l. 14. §. 1.* Si petatur ex capite mutati statûs, tunc iterum distingvo vel enim actio prior, quæ per intervenientem capitis diminutionem ipso jure extrincta est, temporalis fuit, num

per-



perpetua? si temporalis fuerit, tunc ipsum remedium restitutionis, est temporale, ac eo ipso tempore intentari debet, quod actioni extinctæ erat præstitutum. Si perpetua, tunc etiam restitutio perpetuò competit. Si denique petatur ob alienationem iudicii mutandi causâ factam? Tunc respondeo quod ipsi annus utilis sit præfinitus. *L. 6. ff. de alienat. iudicii mutandi causâ factâ.*

§. II.

Declarato tempore intrâ quod restitutio in integrum petenda, ad secundam quæstionem supra motam, quandonam scilicet tempus illud assignatum currere, incipiat, investigandam me accingo, ubi negatâ prius illorum opinione, qui sibi persuadent jam demonstrati temporis cursum, non nisi à Die scientiæ inchoari, absque ulteriore deliberatione horum me conformo sententiæ; utpotè quam sanioribus juris rationibus corroboratam judico, qui asserunt tempus hoc quadriennii petendæ restitutionis minoribus præfinitum à tempore vigesimi quinti anni completi suum inchoare cursum, majoribus autem à tempore sublati impedimenti sive ex quo ipsis fuit facta potestas, de re ob absentiam usucapta experiundi. Cogit autem ita sentire textus in *l. ult. cod. de temp. restit.* ubi quadriennium quod de novo restitutioni petendæ præfinitum est, ab eo tempore currere debet, ex quo antea annus utilis currebat, atqui annus utilis currebat ab anno vigesimo quinto completo, ut *in cit. l. ult.* clarissimis verbis dicitur; majoribus vero à die sublati impedimenti, sive ex quo ipsis de eâ re experiundi potestas facta, ut non obscure insinuat textus in *l. 1. §. 1. ex quib. caus. maj.* ergo et-

quadriennium hisce temporibus currere incipiet. Hoc confirmatur ex eo, quod contrariæ sententiæ Patroni in arenoso fundamento suas ponant probationes, volunt enim quod quadriennium hoc à tempore demum scientiæ suum cursum sumat, & hoc idem, quia ignorantia planè nulla currit præscriptio: atqui hoc fundamentum falsum est: quam parum enim ignorantia, justam restitutioni causam præbet, tam parum etiam restitutionis cursum potest remorari: ergo nulla est efficax dicendi ratio, quod hoc quadriennium à tempore scientiæ demum currere incipiat. Cui non obstabit, si sententiæ meæ probationem in *in cit. l. ult. cod. de temp. restit.* fundatam, ita retorqueas: in dicta lege expressè statuitur, quod quadriennium petendæ restitutioni novitèr præfinitum, ab eo tempore debeat incipere, à quo annus utilis prius incipiebat; atqui annus utilis non à tempore cessantis impedimenti, sed à die scientiæ incipiebat, cum annus utilis aliud non sit, quam tale tempus, à quo dies, quibus quis agere ob quamcunqve causam impeditur, deducuntur: ergo etiam quadriennium utpotè anno utili surrogatum demum à tempore scientiæ incipiet, cum surrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum est surrogatum. Nam nego minorem falsum quippè manet, quod olim annus utilis demum à tempore scientiæ inceperit; cum statim à tempore sublatis impedimenti cursum suum inchoaverit. Dicebatur autem utilis, non quod demum à die scientiæ inceperit, sed quia non statim à tempore læsionis currebat. Pone enim rem absentis fuisse usucapam, hic sanè annus petendæ restitutioni præfinitus, non statim à momento completæ usucapionis, sed demum cessantis impedimenti, sive postquam absens rever-



sus esset, currere incipiebat, ob hanc ipsam rationem,
 utilis vocabatur. vid. *Woller. in discurs. de restitut. in in-*
tegr. neque obstat si ulterius objicias: non valenti a-
 gere non currit præscriptio, *l. i. in fin. cod. de ann. except.*
 atqui ignorans agere nequit: ergo ignoranti non currit
 præscriptio. Distingvo enim majorem & ideo, non va-
 lenti agere non currit præscriptio, si ob impedimentum
 juris agere non valeat transeat major, non valenti agere
 non currit præscriptio, si tantum non valeat agere ob im-
 pedimentum facti, nego majorem, & sic distinctâ minore
 consequentiam. Non omne impedimentum præscriptio-
 nis cursum remoratur, sed illud tantum quod ab ipso ju-
 re provenit. Et meritò si enim ob quodcunque impedi-
 mentum præscriptionis cursum sisteretur, tota ejus utilitas
 evertetur, nam nulli non proclivè foret, in quovis ca-
 su speciosum impedimenti prætextum quærere, ac eo usu-
 captionum jura eludere; imò contra neminem qui supi-
 nus vel stultus ipse rem suam spontè alienare voluisse cen-
 setur, (hoc enim meritò de eo præsumendum qui sciens
 & valens cessat agere) usucapio procederet. Præterea
 nec quolibet impedimento juris præscriptio sistitur, nisi
 enim per id ipsa persona intrinsecè inhabilitetur, ac ad
 agendum inepta reddatur, nullum præscriptionis cursui
 impedimentum potest facessere. Undè licet feræ sint,
 aut Prætor sui copiam non faciat, præscriptio tamen ni-
 hiloniò currit, quamvis subindè Prætor ex his causis
 restitutionem soleat concedere. Tunc ergò demum
 juris impedimentum præscriptioni obstat, quando ipsa
 persona ad agendum inhabilis redditur, quemadmodum
 circa filios familias contingit, quibus ipse status jure sic
 dispo-

disponente, est impedimento, quo minus in iudicio valeant agere.

§. 12.

Ad tertiam quæstionem supra positam quod attinet, an scilicet aliud tempus restitutioni petendæ & aliud finidæ, num verò idem utriq; sit præfinitum? Inter DD. est controversia, imprimis enim illi, qui tenent in disceptando restitutionis negotio duplex iudicium intervenire debere, sententiæ suæ non immemores docent, aliud tempus iudicio rescindenti, & aliud rescissorio esse præfinitum, nam prius intra lapsum quadriennii finiendum, quo referunt *l. ult. cod. de temp. restit.* Posterius verò anno utili terminandum, quo detorquent textum in *l. 35. §. 1. ff. de O. & A. vid. Schamb. lib. 4. instit. §. rursus 5. de act.* Verùm cum totum restitutionis negotium unico iudicio peragatur, veluti in *cap. ult. de tempore circa actiones demonstrabo*, spontè sequitur sententiæ huic minimè esse deferendum. Et sanè cum nullibi in iure aliud tempus iudicio rescindenti, & aliud rescissorio legatur præfinitum vel ex hoc ipso iudicii illius duplicitas non obscure refutatur: neq; enim est verosimilè Jurisconsultos & Imperatores rem hanc tam confusè tractaturos, & non cuilibet iudicio suum distinctum tempus speciatim fuisse assignataros, si voluissent ut restitutionis causa, duplici iudicio ventilaretur. Inter illos qui etiam tenent restitutionis causam unico tantum iudicio disceptari, circa propositam controversiam non omninò convenit: sunt enim, qui tenent tempus quadriennii, tantum restitutioni petendæ esse præfinitum, ipsam verò restitutionem, iudicio semel inclusam perpetuari, quemadmodum & aliæ actiones suâ natura



rã temporales, perpetuantur, si semel in iudicium sint de-
 ductæ. At hæc sententia nullò modò placere potest, præ-
 terquam enim quod in *Clement. unic. de restit. in int. gr.*
 expressè dicatur, causam restitutionis intra quadriennium
 continuum finiendam, adeoq; hoc ipso non obscurè ne-
 getur eam in iudicium deductam perpetuari: insuper et-
 iam in *l. ult. cod. de temp. restit.* verbis perspicuis statui-
 tur, quadriennium non tantum restitutioni interponen-
 dæ, sed & finiendæ esse præfinitum, atqui si lis intrã qua-
 driennium illud, quod causæ in iudicium deducendæ est
 præstitutum, finiri quoque debet, tunc falsum est, quod
 iudicio inclusa perpetuetur. Cui accedit, quod in *l. pen-
 ult. cod. d. s.* habeatur statutum, denegandam actori dilati-
 onem, si talem petat, quæ intrã præfixum restitutionis tem-
 pus non possit coarctari: atqui si restitutionis causa semel
 iudicio inclusa perpetuetur, tunc nullam potest actor di-
 lationem petere, quæ non facillimè intrã præstitutum
 tempus possit angustari, ergò evidens signum est: in *cit. l.
 penult.* tanquam certum supponi, quod restitutionis causa
 iudicio inclusa non perpetuetur. Et quid notius est, quam
 quod etiam in aliis materiis idem tempus negotio tam in-
 troducendo, quam finiendo sit præfinitum? Certè in *l.
 ult. Cod. de dolo malo* expressè statuitur, iudicium doli in-
 trã biennii metas finiendum. Nec dissimile est, quod in
l. ult. cod. de iure fisci habetur, ubi definitur, causas fisca-
 les intrã sex mensium spatium terminandas. Quibus ge-
 minum est, quod depositum habetur in *l. quinquaginta
 38. ff. de excusat. tut.* Ubi dicitur, controversias, quibus
 excusationum causæ disceptantur, intrã quatuor menses
 absolvendas. Licet ergo verum sit, quod per se loquen-



do, causa semel in iudicium deducta perpetuetur, aliud tamen obtinet, si speciali legis dispositione certum tempus earum disceptationi inveniatur praefixum, atque ex his ipsis fundamentis rejicitur etiam opinio eorum, qui putant, quadriennium tantum esse praestitutum restitutioni in iudicium deducenda, ipsam vero litem integro, eoq; distincto durare triennio; nam haecenus nullam esse differentiam inter causas restitutionis, & alias controversias, utpotè quarum disceptationi novà Justiniani constitutione triennalis meta generatim sit praestituta, adeoque dispositionem *l. properandum 13. cod. de iudiciis* etiam ad restitutionum causas porrigendam. Verùm cum paulò antè ex *l. ult. cod. de temp. restit.* ostensum sit, imperatorem statuisse, ut intra idem tempus restitutionis causa interponatur & finiatur, non video quâ ratione constitutio *cit. l. 13.* ad restitutionis causas trahi, ac earum dijudicationi novum ac distinctum triennium invitâ jurisprudentiâ praefiniri possit. Igitur.

§. 13.

Tutissimum hæc in controversiâ videtur, si distinctio fiat inter jus pandectarum & codicis. Considerando enim jus pandectarum omninò videtur dicendum, quod aliud tempus restitutioni petendæ, & aliud finiendæ fuerit praefinitum. Et quidem quod illud tempus attinet, intra quod restitutionis causa in iudicium erat deducenda, illud pro varietate læsionis & ipsum variabat. Vel enim læsus erat minor, vel major? Si minor tunc annum utilem à completâ usucapione computandum habebat, inter quem restitutionis litem poterat inchoare. Sin verò major se læsum dicebat, & quidem ex eo, quod propter absentiam res ipsius ab altero fuerit usucapta, tunc ulterius in-



inspicietur, an tota usucapio in absentia fuerit completa, nec ne? priore casu annus utilis ipsi dabatur, intra quem restitutionem poterat postulare *L. in honorariis 35. §. 1. ff. de O. & A.* Posteriore vero casu tantum ipsi tempus pro petenda restitutione tribuebatur, quantum usucapioni in praesentia complenda adhuc defuerat. Ut ecce! si usucapioni contra praesentem inchoata & continuata, eo tempore quo quis abesse coepit, dimidius forte annus aut mensis, vel etiam septimanam tantum defuerat, intra medium etiam annum, mensem aut septimanam pro rescindenda usucapione iudicis officium erat implorandum; adeo ut aliquando etiam unicus dies, si is solus usucapionis complemento adhuc defuerat, pro petenda eius rescissione competierit. *L. sed etsi 26. §. quoties 8. ff. ex quib. caus. major.* At vero si restitutionis causa debito tempore erat in iudicium deducta, ac desuper lis contestata, per hoc eo jure fiebat perpetua: ratio est, quia nisi specialis doceatur exceptio, omnis actio quantumvis temporalis sit perpetua, si semel iudicio sit inclusa *L. omnes actiones 139. ff. de R. I.* Cum ergo nullibi in pandectis legatur, quod actio rescissoria semel a praetore impetrata exspiret, recte infertur, etiam illam semel in iudicium deductam eo jure factam esse perpetuam. Deinde paulo ante ostensum est, quod aliquando laeso non nisi unius diei restitutio concessa fuerit: atqui non nisi inepte JCI admisissent, ut etiam unius diei restitutio impetrari posset, si causa in iudicium deducta non fuisset facta perpetua, cum plus, quam evidens sit, quod unico die iudicium terminari non possit, ergo hoc ipso, quod etiam unius diei restitutio laeso concessa fuerit, tacite innuitur causam in iudicium deductam per hoc factam fuisse per-

petuam. Atq; ita obtinebat de jure pandectarum. Spectando autem jus codicis, ab eo jus pandectarum hoc in passu ferè totum est immutatum. Imprimis enim in *l. ult. cod. de temp. restit.* Annus utilis transfusus est in quadriennium continuum à tempore cessantis impedimenti computandum: deindè in eadem lege ulterius fuit definitum, quod intrà tempus hoc restitutionis causa non tantum in iudicium deduci, sed etiam finiri debeat, adeoq; de jure codicis restitutio iudicio inclusa amplius non perpetuatur, sed intra quadriennium à tempore cessantis impedimenti computandum necessariò debet ad finem perducì, adeo ut sententia post lapsum temporis huius lata in probabilissimà DD. sententià sit ipso jure nulla atque hæc ita obtinent, si quis toto tempore sit læsus: Quod si quis in unico tantum mense, septimanà aut die læsus sit, tunc iudicium ad finiendam litem integrum habet quadriennium; at verò pro eà incipiendà tantum præcisè tempus ipsi tribuitur, in quanto se læsum potest ostendere: hæc tamen enim manet dispositio juris veteris, ut videlicet intra illud ipsum tempus, in quo quis læsus restitutionem teneatur petere, ita ut post illius lapsum amplius non audiatur. At verò si restitutionis causam debitè aliquando in iudicium deduxerit, tunc integro illa durat quadriennio, ita tamen, ut tempus petendæ restitutioni præfinitum unà debeat computari.

l. ult. cod. de temp. restit. §. 16.

Verum cum non tantum ille qui immediatè in sua personà læsus est, sed etiam illi, qui ex dispositione juris quales sunt hæredes læsi, læsum repræsentant, materiam, siue objectum restitutionis in integrum constituent, Quæ

stio oritur, quodnam sit illud tempus intra quod hæres restitutionem petere debet, si eam obtinere velit? Respondetur in casu quo minor succedit minori, hæres totum illud tempus habet, intra quod defunctus major factus restitutionem poterat postulare, id quod regulariter integrum est quadriennium. Et quia jure novo contra minorem nulla amplius currit præscriptio, ut expressè statutum habetur *in l. ult. cod. in quib. caus. restit. in integr. necessaria non est.* Ideò quadriennium istud hæredi minori, non antea incipit currere, quam is major evaserit. Undè consequitur hæredi hoc casu plus temporis pro petendâ restitutione competere posse, quam defuncto competierit, *l. interdum 19. ff. de minor.* In casu autem quo minor succedit majori, hæres tantum temporis pro petendâ restitutione habet, quantum personæ defuncti adhuc defuerat: quod tempus itidem tunc demum ipsi currere incipit, cum major evaserit, adeoque in effectu itidem plus habet temporis quam defunctus habuerit, *dict. l. 19. ff. de minor.* Quod si demum major succedat minori, hæres integrum habet quadriennium, id, quod tamen ab eo momento ipsi incipit currere, quo delatam hæreditatem agnoscit. Cum enim hoc casu ex personâ propriâ nullo speciali gaudeat temporis privilegio, non potest non quadriennium, quod defuncto competeat, respectu ejus cursum suum ab eo momento incipere, quo is defunctum cœpit representare. Vid. de his *l. ea qua 5. cod. de temp. in integr. restit.* Si denique major majori succedat, hæres id tempus de quadriennio habet, quod defuncto adhuc defuerat, incipitque ab eo momento ipsi currere, quo is hæreditatem adivit. Sed



hæc ad caput tertium de tempore circa personas dixisse,
sufficiat.

CAPUT QUARTUM.

QUOMODO TEMPUS ATTENDATUR

CIRCA RES.

§. 1.

Veluti constat jus aliud esse gentium, aliud civile ita
etiam certum est, utrumque suas habere causas in-
strumentales quæ in jure appellantur modi, quibus jus ad
Dominium acquirendum utitur, quales de jure naturali
seu gentium assignari solent, *in tit. 1. inst. de rerum divis.*
occupatio, nativitas, alluvio, specificatio, confusio,
permixtio, accessio, ædificatio, plantatio, fructuum,
præceptio &c. & de Jure Civili, Donatio, Hæreditas le-
gatum, fidei commissum, Bonorum possessio, acquisitio
per arrogationem, usucapio seu præscriptio de quibus ag-
git Justinianus *Inst. à tit. 6. lib. 2. usq. ad tit. 14. lib. 3.* de
quo ultimo Dominij acquirendi modo de jure civili, præ-
scriptione scilicet, utpotè in quâ certus temporis cursus
à legibus præfinitus, cum cæteris ad eandem requisitis
concurrentibus, rem uni adimit, in alterum transfert, eum-
que Dominium facit, nunc tractare placet. In quâ ma-
teriâ.

§. 2.

In confesso est jura præscriptionis ob utilitatem publi-
cam introducta esse, ne scilicet incerta semper essent re-
rum Domina, & infinitæ circa rerum proprietates existe-
rent lites. *l. 1. ff. de usucap. sive ut dicit Hotom. §. 1. inst.*
de



de usucap. citatus à Cblingens. in suis difficilioribus quest. 9.
 10. institutam esse usucapionem, quæ longæ possessionis
 autoritate quasi trabali clavo rei Dominium figeret.
 Videtur equidem præscriptioni obstare juris naturalis
 præceptum, ne quis cum alterius jacturâ locupletetur:
 sed hoc præceptum intelligi debet de Locupletatione in-
 justâ, non autem de eâ quæ fit ex legis autoritate, ex
 justâ & publicâ causâ, ob quam lex, cum sit Domina re-
 rum, potest uni Dominium adimere, & in alterum trans-
 ferre, sicut etiam contingit jure alluvionis, jure belli &c.
*l. adeo §. quod per alluvionem. l. ergo §. fin. ff. de acquir. rer.
 Domin.* & lex humana, quamvis jus naturale in thesi ne-
 queat immutare, totam ejus præceptionem abrogando,
 in hypothesi tamen, & in particularibus casibus restringe-
 re potest, & declarare. Undè illa regula: neminem esse
 locupletandum cum alterius jacturâ: in contractibus po-
 tissimum & commercio privatorum ad justitiam commu-
 tativam observandam, vel etiam in delictis, furti, rapinæ
 &c. procedit, non autem in constitutione legis publicâ
 autoritate ex justâ causâ probatâ, per quam omnium
 consulitur utilitati, ita ut qui forsân in unâ vel alterâ re
 passus est præscriptionem, is proximè in aliâ contra alte-
 rum eodem præscriptionis jure utatur; & certè cum ju-
 stissima ac gravissima naturæ vox sit: *Salus populi supre-
 ma lex esto* in potestate legislatorum erit, ut etiam con-
 tra singulorum utilitatem pro publica salutâ & reipubli-
 cæ quiete aliqva invenire & introducere possint; & ex his
 rationibus etiam apud ipsos conscientiarum Magistros
 benè affirmatur, præscriptionum jura nullius gravare
 conscientiam sed tam in foro Poli, quam soli procedere.
 Vid,

Vid. *Hannold. tract. 7. cap. 2. num. 164. de just. & jur.* Sed nunc ad rem ubi.

§. 3.

Quæstio est quomodo in materia usucapionum tempus computetur, an de momento in momentum, an de die in diem? ex *l. 6. ff. de O. & A.* ex verbis: *in omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus Dies totus compleatur, non finit obligationem.* Equidem inferri posset, tempus de momento in momentum computandum esse, verum cum *d. l. 6.* loquatur de actionibus personalibus, ut si quis intra constitutum tempus non egerit, si v. g. actio sit annalis, intra annum ab agendo excludatur: & ideo postremus dies totus utilis est actori, adeoque ut contra actionem, præscriptum sit, necesse est totum diem effluxisse; Melius Respondetur tempus computari de die in diem idque propter *l. 15. ff. de divers. temp. act. & l. 6. 7. ff. de usucap.*

§. 4.

Contingit, ut definita præscriptionum tempora, quandoque quiescant, sive ut præscriptio dormiat, quando præscriptionis cursus sistitur quidem, sed ita elapsa tempora, non omnino in nihilum recidunt, sed ut cessante causa dormitionis, priora & jam elapsa tempora (tempore dormitionis subducto) cum posterioribus conjungantur, ut ex illis fiat una præscriptio. Sic evenit ut præscriptio dormiat 1. contra Ecclesiam tempore vacantis Ecclesiæ ac schismatis, *c. 4. de prescript. 2.* in casu quo Ecclesia laesa est à suo Prælato, quam diu vivit Prælatus, *can. 10. 16. q. 3.* 3. illo tempore censetur præscriptio, quo quis alteri rem precario concessit, *l. 13. §. 7. ff. de acquir. possess.*

poss. (4) Tempore hostilitatis vel belli, ubi non patuit iudicis adeundi facultas juxta *c. ex transmissa 10. x. de præscript.* Sed ex Recessu Imperii Ratisbonensi de anno 1654. §. 5. **si vel nun die Capitalia** magis creditoribus provisum, utpotè ex cujus dispositione præscriptio tempore belli germanici, valdè probabiliter in totum sublata fuit, sive eo tempore copia adeundi iudicis fuerit, sive non, item sive debitor tempore belli fuerit de solutione admonitus, sive non, quæ tamen ordinatio ad causas tantum in pecuniâ numeratâ consistentes, propter verbum **Capital** non ad alias pertinere intelligenda est, in quibus proindè dispositioni juris communis standum. Vid. *Textor. in suis disp. ad dict. Recess. de anno 1654.*

§. 5.

Quomodo autem tempus absentia & presentia in præscriptionibus debeat computari, clarè definivit Sacratissimus Imperator in *Novell. 119. c. 8.* ita statuendo: *De Præscriptione verò decennii hoc ordinare Prospeximus, ut si quando quispiam in prædictâ decennii temporali præscriptione, in quibusdam quidem annis præsens sit, in quibusdam verò absens, alios tantos ei annos super decennium adjici, quantos ex ipso decennio absens fuit.* Ex quibus tamen verbis minimè eorum opinio confirmatur, qui censent, tempora absentia eo casu, quò absens ante completam præscriptionem, factus iterum est præsens, omnino esse subducenda, & tot annos in presentia adjiciendos, & de novo supplendos, quot absens manserat; admisa enim hæc opinione, & miro computandi modo, per necessariam consequentiam concedi debet, tempore absentia præscriptionem dormire, item usucapionem & præscriptionem

G

esse,



esse in pendentem, ejusque cursum à reditu vel continuatione absentia dependere, adeoque si ponatur, me rei ad sempronium absentem pertinentis, possessionem ex justâ causâ nancisci eamque per novennium ex.gr. continuare, cum adhuc incertum sit, an ille sit rediturus, nec ne, foret in suspenso hæc usucapio & præscriptio, donec redeat, vel usque ad viginti annos absens maneat, item si eveniat, sempronium post novem annos in absentia mori, & hæredes in patriâ relinquere, sequeretur itidem, quod demptis illis novem annis, ego ab ovo contra hæredes (uti suppono) præsentem præscriptionem inchoare deberem, adeoque quod antecedens usucapio, ob mortem sempronii annihilaretur; sequeretur item, siquidem totum tempus absentia, usucapione non completâ, subducendum veniret, quod si is contra quem possedi, per sexdecim vel etiam octòdecim, quid ni & novendecim annos, absens fuisset, & postea domum rediret, quod, inquam, ego deberem per integrum continuum decennium, de novo præscribere, & similiter sequeretur, quod, si contra præsentem per novem annos præscripsi, & is postea fiat absens per alios novem, & deinde redeat, adhuc uno indigeat anno; Ob has & similes sequelas, iste modus tempora absentia & præsentia computandi non sapit. Præferendam igitur eorum sententiam duco, qui pro regulâ tradunt, unum annum præsentia æquivalere duobus annis absentia, & vicissim duos absentia annos facere unum annum præsentia; & sic si præscriptio contra absentem inchoata fuit, qui postea rediit, antequam perficeretur, pro tempore deficiente ad implementum præscriptionis, faciendâ erit computatio, prout inter præsentem; ita *Antonell.*

de tempore legali lib. 2. c. 67. n. 2. & 3. & rem hanc ita explicat Azo de *prescript. rubr. de longi temp. prescript. n. 9.* Sicut enim duplicatur decennium, & exigitur vicennium, quando actor nullo tempore prescriptiois fuit praesens, ita si ponamus eum aliquo tempore, ex decennio fuisse absentem, id tempus prescriptionis quod deerat, cum coepit abesse, debet duplicari. *Gloss. ipsa ad autb. quod si quis cod. de prescript. long. temp.* Casum his verbis ponit: quid si ego Emptor & Dominus fuimus octo annis praesentes, duobus annis absentes: *re.* hoc casu illi duo anni debent duplicari, ut si octo annis fuimus praesentes & duobus annis absentes, elapsis duobus annis primis, adhuc requiruntur duo anni, quibus sumus absentes, & ita requiruntur 12. anni; ubi glossa apertissime supponit prescriptionem in praesentia inchoatam in absentia fuisse completam.

§. 6.

Prædictis apponatur adhuc quaestio illa quomodo j^o annuæ præstationis acquiratur vel quomodo ex tempore, præterito præsumatur in futurum? Ubi imprimis videri possunt ea, quæ scribunt DD. ad intellectum *l. cum de in rem verso p. 6. ff. de usuris.* In genere autem sciendum est: Si super aliqua præstatione annua deficiat instrumentum, ut de origine illius non constet, sed tantum de solutione vel continuatione per aliquot annos factâ, ad hoc ut percipienti jus aliquod in posterum oriatur, requiri, ut præstationes fuerint uniformes, si enim contingat eas esse difformes, accipienti nihil profunt, nequidem ad conditionem præscribendi, eo quod ad prescriptionem requiratur possessio continua. *§. diutina inst. de usucap. l. 3. ff. cod.*



l. 2. de praescrip. long. temp. Continua autem possessio dici non potest, si possessor interdum plus, interdum minus, vel aliud accipiat, modo tamen difformitas sit in reb^{us} seu speciebus, exemplum habet *Decius in l. si certis annis n. 18. cod. de praescrip. long. temp.* Si quis uno anno traderet par caponum, alio anno par columbarum, vel uno anno pendatur pecunia, alio vero pendatur frumentum, secus si difformitas solum esset in numero, vel mensurâ, ut quia uno anno soluti fuerint aurei quinque & alio aurei sex, vel si uno anno tradita fuerint duæ quartæ frumenti & alio quinque; vel plures, tunc enim sic solvens remaneret in minori quantitate obligatus cum in majori summâ insit minor. *Arg. text. in l. diem proferre §. plures ff. de recept. arb.* Item sciendum: Si præstatio quadam annua uniformiter facta sit per decem annos, ut puta si Titius Sempronio solverit decem nummos vel modios frumenti, aut aliam quantitatem pecuniæ vel fructuum, sed non apparet quâ ratione, sive ex quâ causâ & obligatione solverit, tunc ex decenniali istâ præstatione, nec præsumitur, nec inducitur obligatio in futurum, tamen cum decenniali possessione iusta causâ sive titulo allegeretur à recipiente. Vid. *Covarruv. in C. possessor de R. I. in 6. §. 4. n. 2. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 131. n. 24.* Quia tamen quid per decennium præstitum sit, censetur præstitum potius ex errore, vel ignorantia causâ liberalitatis, vel obligationis temporalis, quàm ut præsumatur debitum in futurum. Si autem causâ sive titulo solutionis non tantum à recipiente allegeretur, sed de illâ etiam appareat, vel ex scripturis vel ex confessione ipsius debitoris, tunc decennales ejusmodi præstationes facient etiam præsumptionem in futu-

futurum, vid. *text. in l. cum in rem verso 6. ff. de usuris*. Ubi usuræ certæ quantitatis decem annis continuis ex causâ dotis solutæ debentur etiam in futurum ex juris præsumptione, contra quam tamen admittitur probatio in contrarium, nullam scilicet ab initio fuisse causam, sive titulum vid. *Covarruv. l. cit. v. secunda*. Quod si verò ejusmodi præstationes cum expressione tituli sive causæ, factæ sint 30. annis continuis, tunc non tantum inducitur præsumptio tituli, sed vera reititûs perpetui acquisitio per præscriptionem: cum hoc tempore absq; tituli probatione procedat præscriptio etiam in rebus magni præjudicii, ita ut præscribentis jus non deficiat, tametsi ex adverso probetur de defectu principii: est enim natura præscriptionis, ut obtineat etiam contra veritatem vid. *Gloss. & DD. in. C. servitium 18. q. 2. Covarruv. loc. cit. n. 3*. Multò autem magis hæc obtinebunt, si ejusmodi præstationes annuæ sint factæ à tempore immemoriali, cum vis temporis immemorialis illa sit, ut in his quæ absque titulo acquiri tempore non possunt, nihilominus immemoriali lapsu temporis quærantur, vid. *Covarruv. loc. cit. n. 4*.

S. 7.

Dicta tamen ita modificanda sunt eisq; apponendum quod census e. g. vel similis alia præstatio annua jure præscriptionis acquiratur, si ex vero & probato titulo, decem annis inter præsentis, & viginti inter absentes bona fide fuerit soluta & percepta. Ratio est, quod census sit jus & quædam quasi servitus; jura autem servitutum cum titulo decem annorum per præscriptionem acquiruntur. *l. fin. cod. de long. temp. præscript. vid. Covarruv. variar. resol. lib. 1. cap. 17. num. n. ad. C. possessor. 2. par. s*

G 3

initio

initio num. 8. vers. secundo. Deindè jurisdictio & reliqua jura contra privatum cum titulo decem annorum præscriptione acquiruntur. Vid. *Covarruv. dict. C. possessor p. 2. §. 3. num. 5. de R. I. in 6. Wesenb. in paratit. ff. de servitut.* ergo & jus census eodem tempore comparari potest. Deniqve census vel ejusmodi reditus annuus, causam habet continuam qvarej sicut alia servitutes habentes causam continuam decem annorum præscriptione, acquiruntur, ita & jus census. Hinc in ejusmodi præstationibus per longum tempus continuatis accuratè attendendum est, inter titulum allegatum quidem, sed aliundè qvam ex præstationibus non probatum, & inter titulum allegatum, & simul legitimè probatum, priori casu ex præstatione decem vel viginti annorum, titulus allegatus probatur quidem præsumptivè, atqve jus censûs ex titulo præsumptivè probato, non vero præscriptione acquiritur, quo fit, ut probatio in contrarium admitenda sit, notum enim est, ex præsumptione juris in dubio tantum judicari, vid. *Menoch. de præsumpt. lib. 1. qv. 75. num. 1. & seqq. Medius in suis Decision. p. 2. decis. 318.* Ubi testatur ex simili præsumptione quendam ad usuras in futurum solvendas condemnatum fuisse, cum per tredecim annos eas antecederet sine contradictione præstisset, ubi *n. 5.* addit: si breviori quis tempore quam decennio tale quid solvisset, posse eum pro ratione materiæ & aliarum circumstantiarum in futurum ei obnoxium censerî si nempe ex breviori tali tempore apertior fiat voluntas, aut aliud judicium adsit, se debitorem faciendi, qualis species reperitur in *l. 1. cod. de fideicom. ubi per triennium facta solutio debito obnoxium facit.* Posteriori casu concurrente cum longi temporis præstatione, bonâ fi-

de,
de
on
ris
lio

P
sce
qu
ju
te
de
qv

te
sp
co
ci
qu
l.
ac
pr
ce
fi
ra

de, præscriptione verà & non solum titulo vel præsumptione acquiritur census. Vid. *Struv. in suo syntagmate juris civilis exercit. 27. thes. 46. & exercit. 43. thes. 16.* ubi alios citat. *Fachin. controu. juris lib. 8. cap. 30.*

CAPIT QUINTUM.

DE TEMPORE ACTIONUM.

§. 1.

Posset in hoc capite de omnibus tam de civilibus, utpotè quæ 30. vel 40. annis durant, cum leges ex quibus descendunt, sint perpetuæ; quam de prætoriiis actionibus, quæ temporales & regulariter annales sunt, cum prætoris jurisdictio ultra annum non durabat, tractari sed cum temporis penuriâ premar, aliqua tantum proferre licet de actione rescissoria, veluti de quâ tam in restitutionum quam præscriptionum materia DD. agere solent.

§. 2.

Quæritur autem circa hanc actionem intra quod tempus sit intendanda? ad quod ut fundamentaliter Respondeatur; satisfaciendum prius esse duxi vexatâ huic controversiâ an scilicet duplex inter venire debeat iudicium, rescindens & rescissorium, ubi respondeo quod duplici illo iudicio planè non opus sit: quod probò si duplici opus esset iudicio, tunc ideò quia antequam ad ipsum restitutionis processum perveniatur, necessariò prius Prætor adeundus, ac pro actionis rescissoriæ conceptione rogandus: atqui si exindè duplici iudicij necessitas evincitur tunc necessariò sequitur, quod considerando antiquum procedendi modum, omnis planè causa
du-

duplici iudicio debuerit ventilari. Secundum veterem enim procedendi modum, in omni planè causà, in quâ modo ordinario procedebatur, antequam ad principalis negotii disceptationem coram iudice pedaneo agendam deveniretur priùs Prator adeundus, ac pro conceptione formulæ rogandus erat; quam etiam non aliter indulgebat, nisi causâ cognitâ, ac auditis desuper adversæ partis allegationibus. Sicut ergo ex eo quod olim in omni planè processu ordinario aliqua apud Pratorem, & aliqua apud iudicem pedaneum peragabantur, non sequebatur, in disceptatione quarumcunque causarum, duplici opus fuisse iudicio, idque ex ea ratione, quia apud Pratorem iudicium non instituebatur, sed primò id à Pratore dato demum iudice pedaneo constituebatur, ita similiter ex eo, quod actio rescissoria non nisi causâ cognitâ concedatur, minùs benè infertur hoc restitutionis negotium duplici iudicio expediri. II. Sicut in Phisicis entia sine urgente aliquâ necessitate non sunt multiplicanda, ita etiam in moralibus & civilibus temerè multiplicari non debent: atqui nulla prorsus est necessitas, ob quam duplex iudicium in propositâ controversiâ debeat admitti, nam totum negotium unico iudicio bellissimè potest absolvi, neque enim pro rescindendâ usucapione ullo modo speciali opus est iudicio cum ea, in ipsâ actionis rescissoriæ conceptione ac concessione, formaliter peragatur; ex eo quippe præcisè, quod Prator causâ cognitâ rescissoriam actionem permittat intentari, usucapionem in effectu rescindit, ac pro non completâ habet: ergo res uno iudicio rectè perficitur, adeoque duplicis iudicij necessitas, non nisi est fictitia.

Qvo
facit



facit, quod exosa sit Legislatoribus judiciorum multiplicatio, & circuitus, ubicunque uno judicio plura peragi possunt, frustra enim fit per plura, quod potest fieri per pauciora. III. Si tali casu duplex intercederet judicium, & actor rescissâ demum prævio separato judicio usucapione rem ipsam vindicare posset, tunc in formulâ actionis malè intenderet, possessorem usu non cœpisse; deberet enim potius ipsam rem directè vindicare ac præcisè rei suæ Dominio, utpotè per rescissam priore judicio usucapionem fictione pratoriâ resuscitato inniti, atqui actor rescissoriam actionem intentare volens, formulam ita debet concipere, *Possessorem non usucapisse* ut clarissimis verbis dicitur in §. *rursus ex diverso s. inst. de act.* ergo evidens signum est, duplex judicium nullatenus intervenire, sed totum negotium unico absolvi. Unde non admissio hœc duplici judicio, ad Quæstionem supra postam Respondetur dictam actionem Rescissoriam olim intra annum, hodiè intra quadriennium continuum intentandam esse. Vid. *Schamb. lib. 4. inst. §. rursus s. de action.* atqve hæc pro instituti ratione ad majorem.

DEI DEIPAR.ÆQUE gloriam dixisse
sufficiat.

F I N I S,



H

Ergo



ERgo Pugarum nondum terraque, marique,
 Orbis habet fatis! & certamina dura, cruenta
 Prælia, conflictus diri, armorumque feroces
 Concurfus passim fiunt; Immanis ubique
 Mars furit, atque atrox circumfert undique bellum.
 Ecce novus properat *Vir Pugnax*, *clarus in armis,
 Ille novum spirat Martem, nova Prælia, pugnas
 Moliturque novas, certamina, conflictusque.
 Arma vibrat, sed docta; parat sapientia bella,
 Prælia digna Sophi studijs meditatur, *Utrog.*
Pro Jure in doctâ configere prurit arenâ.
 Jam pridem puer ad pugnam, & certamina natus,
 Bellonæ addictus doctæ, mox Pallados arma,
 Atque novenarum Puerilia Castra Sororum
 Præclaris tentare ausis, elementaque primi,
Grammaticâ in primâ, & *Syntaxi*, ponere Belli.
 Hic *Heiligenstadij* † spoliis insignibus auctus
 E Latîa Lingvâ, varias & Apollinis arces,
 Metrorumque artes, Musarum abstrusa, secundo
 Impiger in studijs didicit perrumpere nisu:
 Nec minus excelsas grandi conamine sedes
Rethorices, altæ sacra munimenta Minervæ,
 Et Suadæ assultu muros conscendere honoros.
 Hic mihi quis memoret quot præmia laudis, & artis
 Præripuit docti per quinque stipendia Lustri?

Miles

* Dn. Urbanus Josephus Streit.

† Vide Programma pro Lectione Cursoria public. 25, (15.) April. 1694.



Miles abinde novus, jam bello fortior, atque
 Doctior, ille novo voluit se accingere Marti.
 Mox studium petit Ipse novum, nova *Castra Sophorum*
 Ingreditur, pugna celeri, studioque bienni
 Quidquid Aristoteles Sophicas coniecit in arces
 Expoliare avidus, praedam sibi fecit opimam.
 Atque inter Pugnas ultrò, citroque peractas
 Fit *Sophus*, & dignam condignus carpere laurum,
 Et meritos Sophico titulos decerpere ferro.
 Post Belli nondum satur, ast asuetus ad arma,
 Mavortem tentare alium juvat, atque *Geruna*
 Castra sequi, venit huc cupidus studij, atque laboris
 Per celebri celebres in Jure parare triumphos.
 Ergo Ducem sequitur *Germanum* in *Jure Magistrum*
Pugnacemque Virum, * sub quo sic *Codice Juris*
 Condidicit pugnare, *Virum* & se ostendere *Pugnae*,
 Tempore ut in parvo spes ostentaret ovandi.
 Quin *Theologico* pro more & *Jura* doceri
 Addidit, & Doctæ specimen mihi præbuit artis †
 Mox alios Belli campos, alia *agmina Juris*,
 Et *Baldos* alios invifere gestijt, inde
 Hinc *Ingolstadtium*, stadium aureum abivit, ibique
Pandectas tractare sagax, versare *Novellas*,
 Et quidquid *Civile* docet *Jus*, sedulus æquè
 Et *Canones* vibrare *sacros*, *Jus* denique *binum*
 Expertus redijt. Non inde gregarius esse
 Miles amat, Ducis ast partes, atque *Inclyta* prensat
 Munia, jam dives spolijs ex Marte relatis,
 Militiâ Juris clarus, vult Ipse cohortes

H 2

Ducere,

* Dn. Joannem Philippum Srreit, J. U. D. & Prof. P. Fratrem suum,
 † Vid. *Programma*,



Ducere, Juridici dici inter Fulmina Belli.
 Nec mora; se sistit Ductoribus, atque Tribunis,
 Expertisque Viris Belli, atque in Jure Peritis.
 Explorant de more Virum, cunctasque per artes
Juris, & arma trahunt, simul Argumenta retrusa,
 Difficilesque cient pugnas, per tela, per enses
 Juridicos agitant, Centenis *Casibus* urgent.
Vir Pugnax nil hæc timet, imperterritus hæret,
 Seque probat *Pugnaxq;* *Virum*, facilemque trophæis;
 Agnoscunt fortem Pugilem, Jurisque Magistrum.
 Ergo manumissum, dum se videt, atque solutum
 Rite *Tyrocinio Juris*, jam Bella cedere
 Audax Marte suo placet, atque lacessere pugna,
 Jam quosvis hostes, jam se defendere contra
 Quoscunque assultus; Sic solers Tempora captat
 Ut bene *Juridico* pro *Tempore*, * *Tempore* pugnet
 Sic fortunato; felix ut *Tempora Lauro*
Juridicâ dignus redimire, *Licentia bini*
 Moxque proinde data est (quamvis non Publica) *Juris* †
 Ipse oculis egomet vidit, ipse atque auribus hausit.
 Macte animo Generose *Pugil*, *Vir* Nomine *Pugnax*,
 Et re Victor ovans, & *Juris* Nobilis *Heros*,
 Æmula Progenies tantorum imitator avorum
 Scis quis avus fuerit tuus? Hic pro quantum in armis
 Palladicis! præstans Vir qui mihi cognitus olim,
 Semper eum teneo memori mihi mente repostum.
 MAURITIUS GUDENUSERAT, Vir nomine magnus,

Et

* Habuit Disputationem Inauguralem Juridicam de TEMPORE
 28. (18.) Maji in Auditorio Juridico Collegij Majoris 1694.
 † Collata privata ei Juris Licentia à Rever. Dn. Procancelario
 Dn. Joanne Jodoco Hunold, &c.



Et par laude, sacrae fidei fortissima rupes,
 Harefeon terror, nulli pietate secundus,
 Principibus carus, fortunâ exercitus omni.
 In sobole felix, Tibi quinus avunculus illo
 Patre datus. Notus Tibi magnus avunculus usq;
 JOANNES DANIEL * *Lituo inclytus*, atq; *Tiarâ*
 Ac Erphordiâcis dudum celeberrimus oris
 Funere non pridem functus; Præcesserat olim
 Alter MAURITIUS qui natu junior etfi,
 Nulli concessit meritis, *Pratoria* gnavus
Jura dabat dum vixit, hūic æquissimus Urbi.
 Vivit uterq; neci venerandâ laude superstes.
 Tres alii, quorum primum æstimat ipsa *Vienna* E-
 LECTORIS *Mogoni* Residentis munere grandem. †
 Est alter *Mogonâ* Celebris *Galenus* in Urbe. *
 Tertius ipse legit clari vestigia Patris,
 Ritè *Moguntinum* propugnat *Jusq;* Trefurti.
 Sic GUDENUS avus, natis post fata perennat:
 Ille Tuæ Matris (quæ *Nomine, reg;* BEATA)
 Te dedit HENRICO *Patri*) † Pater & fuit; Inde
 Participas magnis Patruis de gente GUDENIS.
 Gloria vix minor est Tibi parta, ex stirpe paternâ;
 Non memoro Proavos, atavosvè, ast narro Parentem;
Vir tuus est *Pugnax Pater*, & qui *Jura* tuetur,
 Est *Vir Consultus*, Vir servantissimus æqui,
 Hoc *Dingelstadium*, post & *St att* *vorbis*, ab annis

H 3

Præ-

* Suffraganeus & Archi-Præsulis & Elect. Mog. Sigillifer, &c.

† D. Joan. Christophor. Gudenum.

* D. Urbanus Streit, Medic. D. Moguntia,

† Pater: Dn. Henricus Adamus Streit, Conjugem habuit Dn. Beatam
 Gudenusin.

Prædicat haud paucis; * Soboles nec deneger illi est,
 Egregios primus fratres qui quattuor inter,
 O mihi quantus hic est! qui multas nomine profert
 Non frustra *Galeas*, † *Galeatum Gallia* vidit
Cisterzi (Ordinis illa sui *Primaria sedes*)
 Explanare *sophos*, & *Aquini* dogma *Magistri*. *
 Nunc obit ille vices grandævi Abbatis, ab omni
 Voce *Coadjutor* Lectus, jam fungitur amplo
 Inque *Eichsfeldiacis* *Statibus* *Primatis* honore †
 Ille *Pedum* geret; atque caput manet *Insula* dignum.
 Nec te JOANNES † præclare PHILIPPE silebo,
Nomine quantumvis videaris *amator equorum*,
 Non lætaris equis, *recto* lætaris, & *aqno*;
Iura Professor obis, *Judex* & *Iura profaris*. *
 Tertius es Fratrum præstans HENRICE GEORGI
Germanis similis, virtutis prælia pugnas
Vir Pugna, virtus peperit tibi sacra *Bravia*;
 Inter *Canonicos Cantoris* munere dudum
 Functus es, & *Divi* (sic scandis) in æde *Severi*
 Jamque *Scholasticus* es, sed & ultra *Flumina Gere*
 Extendis *Nomen Sanctæ* Te *Divus* & *Urbis*
Præpositum Mactinus habet; sic Numen honorat.

Non

* Antehac Dingelstadij *Judex* nunc in *Stattworbis* & *Haarburg*
Præfectus Moguntius.

† Rerendissimus *Pater* ac *Dn.* *Wilhelmus Streit*, *Abbatia* *Reiffen-*
steinensis *Coadjutor* electus.

* Docuit *Cisterzij* unde & ordo dicitur *Cisterciensis*, *Philosophi-*
am & *Theologiam* cum laude, & plausu.

† *Abbas Reiffensteinensis* & *primas Eichsfeldiæ*.

* *D.* *Joan. Philip. Streit*, *J. U. D. P. P.* *Judicij* *Electo.* *Assessor.*

† *D.* *Georgius Henricus Streit*, nuper ad *S. Severum* *Cantor*, nunc
Scholasticus, & ad *D. Martinum Heiligenstadij* *Præpositus*,



Non numero *Affines*, quorum Tibi copia grandis
 Factis, & meritis, virtute, propagine celsos.
 En Tibi sublimes laudes, URBANE JOSEPHE
 Et *Decora* Ingentium *Patruorum* excelsa Tuorum,
 Et *Fratrum meritos* per iter *virtutis honores*;
Exemplumq; Patris. Tu Proximus omnibus instas,
 Virtutis Tu carpis iter, Laudisque beatæ,
 Egregiis famam factis imitaris avitam.
 Es Juvenis primâ tinctus lanugine malas
 Sed gravitate senex, Doctrinâ grandior, annis,
 Jamque *labore* tuo Tibi parta *scientia, Bini,*
 Est & *honore* tuo, Tibi parta *Licentia Juris,*
 Perge age, & egregij fructus insiste labori
 Te tuus ille labor similique beabit honore,
 Ne dubita *Fratrum* insignes *equabis honores.*
 Quis scit, quæ maneat te Sors? rotat omnia Numen,
Nomina cum bona sint Tibi, & *omina*; Porrò labora
 Fortunet Tibi Numen opem, studiumque secundet.
 Sis Pius, & sis Juris amans, Rectique tenacem
 Te Præbe; *æternum* pariet Tibi *Gloria Nomen*;
 Felix vive, meis feliciter utere votis.

Ita singularis affectus, & studij ergo erga Nobilem Claris-
 simum DN. URBANUM JOSEPHUM STREIT, quondam
 suum in Theologiâ Auditorem eruditissimum, nunc
 J. U. Licentiatum & Doctorandum, ac observan-
 tiæ erga Inclytas Familias Gudenianam & Strei-
 tianam.

HENRICUS GERARD, è Soc. Jesu, Ss. Theol. Doct. & P.P.
 Sacræ Theol. Facultatis Assessor:

Prima

Prima tibi pietas, JOSEPH fuit; altera Musa;
 Has semper teneas, tertia cura tibi.
 Dat pietas Coelos, dat Justinianus honores.
 Hinc tribuit laurum, cetera dona manent.
 Has nunc fundo preces, fidos venerare sodales,
 Nec patiare premi, qui tua fata colit.

His Prænob. Clariss. DN. URBANO JOSEPHO STREIT, J. U. Doctorando, paucissimis accinere voluit ejusdem totiusque Familiæ STREITIANÆ Servus fidelissimus

JOANNES SAMUEL SOLFF,
 Ecclesiarum B. M. V. & S. Severi respectivè
 Canonicus, Parochus & Vicarius.

Nobilissimo & Clarissimo Domino

URABNO JOSEPHO
 STREITIO,


J. U. Licentiato Amicorum suorum optimo,

NICOLAUS VALENTINUS Körner /

S Tertia Te genuit Gens pugnacissima laudum,
 Debueras decorum Tu simul esse Pugil.
 Aula Hazfeldiadum Comitum, atq; Eisfeldia bigæ
 Congaudent Pugilum, Patre Tuoque tuis.

Quas

Quas Germanorum tuater celeberrima Triga
 Virtutum pugnas edidit egregias?
 Primus in Abbatis succedit Munia, Magni
 Primatis Patriæ clarus honore mex.
 Alter Severi pronuper in æde, secunda
 Prælati meritò munera sancta tulit.
 Tertius in Nemeli Geranâ militat, ejus
 Nobilis Antistes de Cathedrâ atque foro.
 Hos Tu jam sequeris nascendi sorte priores,
 Virtute insigni ne videre minor.
 Streitio-Gudenâ Te natum ab origine monstras,
 Dum Jura eximiè Te didicisse doces.
 Bina pro populo, Bina pro Numine prole
 Clarentem Patrem Tu facis esse tuum.
 Vive tuis præclare diu virtutibus, annos,
 Quot fert Grana ceres, rot Tibi Körner avet.



*V*IRTUS virtutem generat, dat PUGNA Coronam,
 Condignas laudes assiduusq; LABOR;
 Hæc Tria nunc meritos tibi contestantur honores
 Quos Imperator Justinianus habet.
 Adsint ergò sacra Phocidis de monte sorores
 Ingenioq; ferant digna Trophæa tuo.

I

Me-

*Meq̄ tibi junctum serues in corde, vicissim
 A me servandus, quos sociavit Amor,
 Quos sociavit Amor, distantia nulla resolvat,
 Sed maneat tantò firmior unus Amor.
 Pergito justitiæ Custos, Deus annuat orsis,
 Et faciat cursûs vela secunda tui.*

Hoc in contestationem sinceri Amoris
 & gratulabudi animi ergà Prænob:
 Clariss: Dn. Doctorandam posuit

NICOLAUS HENRICUS GERWIN, J.U.S.
 Hagiopolita Eüchsfeldiacvs.







Erfurt, Diss., 1694-95


ULB Halle 3
005 607 604




TA → OL

V017








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



z. 1694, 14

INAUGURALIS
 IDICA
 DE

PORE,

AM
 DIVINI NUMINIS
 ENTIA,
 TATE INCLYTÆ FACULTATIS
 DICÆ
 N
 AD GERAM UNIVERSITATE
 RO
 E HONORIBUS AC PRIVILE-
 RITE ET SOLENNITER
 QUENDIS
 RUM DISQUISITIONI
 ITIT

JOSEPHUS
 EIT,

IS EISELDIACUS,
 ICO COLLEGII MAJORIS
 ANNO M. DC. XCIV.
 EMERIDIANA.

ORDIÆ,
 OSCHLI, ACAD. TYPOGR.

144

